ADNOTATIO

AD

GAII

INSTITUTIONUM

COMMENTARIUM PRIMUM.

ADNOTATIO

AD

GAII

INSTITUTIONUM

COMMENTARIUM PRIMUM.

AUCTORE

C. J. VAN ASSEN.

EDITIO TERTIA EMENDATIOR.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD E. J. BRILL.
Academiae Typographum.
1849.

. . . Nec erit unquam fidus interpres juris, nisi qui et antiquum, novum et medium jus bene cognoverit. — Imitemur Aristonem et nullius juris cognitionem negligamus — nec existimemus nihil ex jure antiquo residere in Pandectis, resident enim innumera, quae si nolis agnoscere, necesse est haereas semper in luto — nec existimemus ea, quae sunt scripta in Pandectis omnino congruere cum novissimis constitutionibus codicis.

CUJACIUS.

Non ut jus aliquod antiquatur, ita et ratio illico abrogatur, quin potius ab antiquo et antiquato jure rationes et argumenta recte et utiliter saepe arcescuntur.

J. GOTHOFREDUS.

Si quis, cui non sit praeoccupatus animus, vel festinanter inspexerit Gaii Institutiones, novam nunc ejus studii, quod in veteri jure Romano enucleando positum est, aetatem incipere intelliget. GOESCHEN.

. . . . die Institutionen des Gaius das reinste und volständigste Werk, welches aus der Juristischen Literatur der Römer auf uns gekommen ist. . . . dessen unvergleichlichen werth gewiss kein Freund unsrer wissenschaft verkennen wird. SAVIGNY.

Vos, qui Themidis sacra adire vultis, hasce Institutiones, ut rite illa faciatis, adhibere debetis, ne tamquam profanum vulgus arceamini; nam ea hodie juris studii conditio est, ut quem librum ante hos viginti quinque annos nemo superstitem esse divinabat, is jam vel apud populos qui jure civili Romano non reguntur, — in magno honore, apud nostros autem jureconsultos omnes in supellectili pernecessaria habeatur. BÖCKING.

die edle zierlichkeit seiner Schreibart.

LACHMAN.

PRAEFATIO

AD

EDITIONEM SECUNDAM.

Quum occupati essemus in hac adnotatione ad alteram editionem instruenda, allati nobis sunt Gaii Institutionum Commentarii quatuor ad exemplum a Jo. Fred. Lud. Goeschenio Berolini anno CIƆIƆCCCXXIIII editum recogniti atque emendati. A. CIƆIƆCCCXXXVII prostant Bonnae Apud Adolphum Marcum. *Hanc igitur editionem in qua justior, quam in superiori* (*anni* 1830) *ratio fuit habita Cl. Huschkii conjecturarum elegantissimarum, maxime adhibuimus, ejusque formam etiam externam observavimus.*

Utinam Cl. Lachmannus susceptum munus brevi expleat, publicique juris faciat tum sua μελετήματα ad Gaium, tum Goescheni, sospitatoris Gaii, quem immatura morte exstinctum lugent omnes boni.

Scrib. Leidae Cal. Juniis 1838.

Explevit cl. Lachmannus susceptum munus. Exoptatissimam editionem, quae prodiit anno 1841. *in tertia hacce valde aucta, et ut nobis blandimur, emendata* Adnotationis *editione secuti sumus, adhibito etiam diligenter cl. Böckingio, qui eodem fere tempore anni* 1841 *Gaii commentarios edidit, notisque doctis instruxit.*

Scrib. Leidae Idib. m. Septembris 1849.

ADNOTATIO.

Omnes populi, qui legibus et moribus reguntur. §. 1.
Significatur universum jus, tum scriptum, quod dicitur, tum quod sine scripto venit, quo civitas quaeque bene morata utitur, ut infra §. 92.: *secundum leges moresque peregrinorum.* Usitata est Jureconsultis conjunctio utriusque vocis; veluti in L. 19. D. de captiv.: *jus moribus, legibus constitutum;* L. 3. D. de don. int. vir. et ux.: *si matrimonium moribus legibusque constat.* Etiam Cic. Part. orat. c. 37. *ut nostros mores legesque tueamur*, et in dialogo de Senectute c. 11. *legibus et institutis*, ubi *instituta* idem est ac *mores.* Aliquando etiam numero singulari, veluti in L. 214. D. de verb. sign.: *lege, more* infra IV. 26. *moribus, lege*, Julianus in L. 32. D. de legib. opponit *scriptas leges moribus et consuetudini.* Ulpianus Fragm. I. 4 *mores* explicat *tacitum consensum populi longa consuetudine inveteratum. Mores* in L. 8. D. R. N. significat id quod consuetudine et *interpretatione* Jctorum est introductum. *Mores* autem Graece dicuntur νόμοι ἄγραφοι sive ἔθη. conf. auctores, quos laudat Goelerus ad Thucyd. II. 37.

Id ipsius proprium est. Ipsius, hoc est, populi. Ejicienda vox *civitatis* in L. 9 D. de Just. et Jur.

Quasi jus proprium ipsius civitatis Ludit Gaius in voce *civile* quasi derivata a voce *civitas.* Minus dubitanter scribit in L. 1, D. de acq. rer. dom. *jure civili id est jure proprio civitatis nostrae.* Atque hoc jure civili non tantum continetur jus privatum, sed etiam jus civitatis publicum.

Jus proprium civitatis. Proprium est summum sive ita constitutum legibus et moribus, ut civitatis Romanae indolem et populi ingenium declaret recedatque ab institutis aliorum populorum. Pertinent huc: jus patriae potestatis §. 55; emancipatio et adoptio per ritum mancipationis §. 119.; conventio mulieris in manum §. 108. et III. 82.; perpetua tutela mulierum §. 191, 195.; duplex dominium §. 54. et II. 40.; mancipatio, in jure cessio, usucapio II. 65.; usucapio pro herede II. 54.; obligatio nominum III. 133.; verborum obligatio *dari spondes* III. 93. et 114., denique legum actiones IV. 10. multaque alia, partim senatus consultis, partim etiam edictis Praetorum constituta. Huic opponitur id quod *proprium est peregrinorum.* §. 92 et III. 134.

Communi omnium hominum jure utitur.

Omnes homines. id est, gentes, ut in III. 93... *juris gentium sunt: itaque inter omnes homines, sive cives Romanos sive peregrinos, valent.*

Significatur igitur jus illud, quod petitum e summa ratione, quam omnes gentes communem ducem sequuntur et observant, propter utilitatem suam ita receptum est in civitatem Romanam, ut nulla plane forma indiguerit ad vim obtinendam; veluti modi acquirendi dominii naturales, et obligatio solo consensu contracta.

Quae in Institt. Justiniani dantur definitiones justitiae, jurisprudentiae, libertatis, praeceptorum juris, tamquam fundamenta disciplinae legum hae descriptae sunt ex operibus Jureconsultorum, qui floruerunt post Gaium. An aetate Gaii, qui nulla hic utitur praefatione, ut fecit in Commentariis ad XII Tabb. (vid. L. I. D. de O. J.) simplicior adhuc fuit juris elementa tradendi et docendi ratio?

Constant autem jura. Jura eximie h. l. partes juris civilis scripti quae juris gentium regulas aliquo casu commutaverunt, ut fere est in §. 83, et jus civitatis proprium

constituerunt. Interdum vox *jura* numero plurali minus late patet, quam numero singulari; veluti *jura legis Aeliae Sentiae* §. 47.; *Jura legis Papiae* III. 54.; *Jura condere* §. 7 IV. 10. sic Gaius in L. 32. D. de hered. instit.: *jure postliminii omnia jura civitatis — retinentur.* Omittit h. l. commemorationem juris quod sine scripto venit, laudat autem III. 82. *jus quod consensu receptum est.*

Lex — Plebiscitum. Distinguit haec Gaius historiam juris veteris respiciens. Sua autem aetate uterque hic fons jam dudum exaruerat et neque a populo, neque a plebe amplius aliquid novi jubebatur aut constituebatur. In Institt. Just. de lege et plebiscito usurpatur tempus praeteritum, de senatusconsultis et constitutionibus tempus praesens. vid. I. 2. §. 4--6. §. 3.

Jubet atque constituit. Solennis dictio de tribus hisce amplissimis juris fontibus et gravior etiam conjunctione *atque*, quae plerumque ante vocalem posita hic ponitur ante consonantem, ut saepe Cicero in ipso orationum ingressu.

Plebis-appellatione sine patriciis. Restituenda vox *Patriciis* in L. 238. D. de verb. sign. non tantum quia est Gaii, sed praesertim quia est ex ea parte commentariorum Gaii ad XII. Tabb. ubi additae duae tabulae iniquarum legum, ut illas vocat Cicero de Republ. II. 37, a Gaio sunt illustratae. Quapropter non dubitamus, quin ibi explicuerit vocabulum *Patribus* quod erat in Tab. XII.: »Ne connubium patribus cum plebe esset."

Plebiscitis se non teneri, quia sine auctoritate eorum facta essent. Niebührus Hist. Rom. III. 490. reprehendit Gaium quod scripsit *quia* et non *quae.* Nobis displicet *quia* construi cum modo conjunctivo *essent*, et *eorum* usurpari pro *sua* ut Latinitas requirere videtur.

Lex Hortensia. cujus primarium argumentum fuisse videtur sublatum jus senatus vetandi et intercedendi scitis comitiorum plebis. Conf. etiam Theophilus ad Institt. I. 2. 5.

ubi Hortensium laudat ut amantem patriae civem et concordiae conciliandae studiosum.

Ut plebiscita universum populum tenerent Niebührus l. l. delet *universum*, quia enunciatio *universi populi* videtur ei fuisse inferioris aetatis. At usurpat illam Laelius apud Gellium Noct. Attic. XV: 27. An Gaius scripsit: *universos cives*, quod modo usurpaverat, occupavitque deinde adjecta interpretationis causâ vox *populus* germanam lectionem?

§. 4. *Quamvis fuerit quaesitum.* Ulpianus idem sic pronunciat: *non ambigitur senatum jus facere posse*, L. 9 D. de legg. significans ut nobis videtur, nunc non amplius ambigi, olim vero diversas fuisse jureconsultorum sententias. Nec facile mihi persuasero, libera republica senatusconsulta, qualia sub Caesaribus fuerunt Macedonianum et Velleianum, tantam continuo vim et auctoritatem in foro obtinuisse, ut judex in istiusmodi causis secundum senatusconsulta haud secus ac secundum legem jus antiquius abrogantem pronunciare deberet. Ceterum Gaius ipse pluribus locis leges et senatusconsulta ita conjunctim laudat, ut appareat, quid sit: *legis vicem obtinere*, et quemadmodum id, quod venit ex legibus aut moribus eximie sit Jus civile, cui opponit *jus*, quod ex sctis venit. Postea vocabulum *jus* complexum est omnes hasce partes varias, cui opponuntur *constitutiones* vid. §. 83. II. 197. 206. 255. IV. 110. et L. 5. C. quor. appell. non rec.

Quod Imperator — constituit. De Imperatore non repetitur vocabulum *jubet*, ut de populo et plebe; nam decretis et epistolis non jubet, sed jura disponit, ordinat, regit, atque adeo constituit. Eximie est ejus vocis potestas in L. 2. §. 11. D. de O. J., quum dicit Pomponius loco non satis ad partes vocato: *Senatus non perinde omnes provincias probe gerere poterat; igitur constituto Principe datum est ei jus, ut quod constituisset, ratum esset;* ubi verba *provincias gerere* accipienda videntur de variis

ac diversis reipublicae procurandae muneribus.

Decreto vel edicto vel epistola constituit. In ipsis Inst. Just. et haec multo elegantius et accuratius: *per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto praecepit.* conf. adn. ad §. 198. In l. 3. Cod. Si min se maj. distinguuntur sacrae constitutiones et rescriptorum auctoritas.

Constitutiones ibi eximie de Edictis Caesarum.

Edicto veluti in §. 55. 93. III. 72.

Nec unquam dubitatum est. Respondet hoc superiori enunciationi: *quaesitum.* De Sctis quidem quaesiverunt olim et dissenserunt Jcti, sed de constitutionum Caesarum vi et auctoritate nulla unquam fuit dubitatio aut dissensus, quia ipse Caesar per legem imperium accipit.

Quin id legis vicem obtineat. Quare etiam in L. 14 D. de cond. institt. conjunguntur edicta Imperatorum et leges; adde L. 12. Cod. de legg. *constitutiones legis vicem obtinere.* Verba in Institt. Justin. *legis habet vigorem* eandemne habent vim, an etiam majorem? nam sequitur statim: *quodcunque Imperator praecipit — legem esse constat.* Ceterum add. IV. 118. *exceptiones vel ex legibus, vel ex his quae legis vicem obtinent substantiam capiunt.* In L. 32. §. 1. D. de legg. dicitur de consuetudine: *pro lege non immerito custoditur;* de Edictis vero eorum, qui jus edicendi habent, haec dictio non usurpatur.

Cum ipse Imperator per legem imperium accipiat. In Instit. Justin. haec accuratius et copiosius. Quod Gaius scribit *accipiat* hoc argumento est, etiam sua aetate Caesari ad imperium accedenti lege sive imperandi formula tributam fuisse potestatem; quare etiam in L. 1. §. 1. Dig. de constitt. lectio Flor. *conferat* omnino recte est; nec praeteritum tempus significatur ab Ulpiano, qui ipse fortasse in Praefectura Praetorio conscripsit elegantem constitutionem Alexandri Severi in L. 3. C. de testam.

Existimat Niebuhrus l. l. I. 356. legem hanc de imperio

eandem fuisse ac legem curiatam quam reges tulerant de imperio suo, veluti Numa apud Ciceronem de Republ. II. 19. Mirum est in tabula aenea continente Sctum de Vespasiani Imperio nullam fieri mentionem nec potestatis Imperatoris in jure dicundo et constituendo, nec reperiri verba, quae solennia fuisse credideris: Edictum, Epistola, Decretum, in quibus ipsis cerni potissimum videtur summa potestatis in Imperatorem delatae. Noli autem huc referre L. 14. §. 1. D. de manumiss., nec verba *ex lege Augusti* accipere de lege regia, quae Augustum vel regem fecit. Apta fortasse est ista Augusti Caesaris lex sive constitutio humanissimae legi Petroniae de servis Augusti potissimum auctoritate factae, ut certe nobis videtur veri simillimum. Ceterum non pigebit conferre h. l. Theophilum, qui in prioribus Institutionum titulis amplificandis interpretis fere vicibus fungitur.

§. 6. *Jus autem edicendi habent magistratus populi Romani.* Unde conjunctio *autem?* An vult significare, Praetores, ut Imperatores, habuisse potestatem dandi Edicta? at tum scribe: habent etiam magistratus, aut dele *autem.*

Magistratus populi Romani. Sic etiam lege apud Ulpian. Fr. 1: 7. Eximie magistratus majores intelliguntur, qui honores gerunt sive qui jus edicendi habent, ut est in §. 2., veluti Praetor, Consul, et etiam Praeses Provinciae add. II. 24. Referunt quippe personam populi universi, ejusque majestatem sustinent, quâ summâ potestate ne abuterentur, annuum tantum eorum imperium fuit. Qui parti tantum reipublicae procurandae, veluti municipio, praesunt, dicuntur simpliciter magistratus, ut est in tit. D. de magist. conv. et infra §. 96. ubi magistratus de munere ipso usurpatur et opponitur honori.

Gaius nullam, quod miremur, mentionem facit Edicti Perpetui, et de omni jure edicendi ita loquitur, ut, etiam composito Edicto, Praetores institutam adhuc edicendi ra-

tionem non omisisse videantur, quin etiam edictis suis statim conciliavisse auctoritatem juris. In Institt. Justin. secus est; non laudatur amplius jus edicendi, sed ipsum constitutum jus honorarium.

Sed amplissimum jus est in edictis duorum Praetorum.

Nam utriusque Praetoris edicta summae fuerunt auctoritatis in universo jure civili, quod temperaverunt et amplificaverunt in primis expediendo negotia forensia, favendo mercaturae commodisqne peregrinorum, recipiendo aliarum gentium instituta, tribuendo vim obligandi praeceptis morum, aequitatis, humanitatis. Gaius edictum Praetoris peregrini sejungit ab edicto Praetoris urbani sive edicto urbico. Operae practium est hic apponere Ciceronis locum de Finib. 11: 22 non satis ab interpretibus, ut certe nobis videtur, animadversum: jam quum magistratum inieris et in concionem adscenderis, (est enim tibi edicendum, quae sis *observaturus in jure dicendo* etc.)

Unde adparet, quod nullo alio loco tradi videtur, Praetorem magistratum ineuntem in concione populi edixisse, id est: exposuisse summam eorum, quae sit observaturus in jure dicendo, eaque commendavisse oratione sive explicatione rationum.

Quorum in provinciis jurisdictionem Praesides earum habent. Scripsisset simplicius: *quorum jurisd. Praesides in Prov. habent;* at conf. §. 100.

Provinciae. Eximie significant populi sive senatus provincias, conf. rei illustrandae causa Cicero Epp. ad Attic. VI. 1. add. Gaius. II. 7. 21. Sueton. Vit. Claud. c. 25. Dio Cassius Hist. LX: 24.

Item in edictis Aedilium curulium. Nempe amplissimum jus est, quippe maxime conjunctum cum ipsius juris Praetorii ratione, pluriumque actionum in forum introductarum, ut ita dicam, auctor fuit et effector. Argumento sit tit. D. de ed. aedil., ad quod idem edictum

ipse Gaius duos libros conscripsit Vid. L. 3. 32. D. tit. laud.

Hoc Edictum. Nempe quale Aediles curules in urbe et Quaestores in provinciis populi proponunt. Sueton. in Vit. August. c. 47. et L. 1. §. 2. D. de offic. Quaest. his verbis illustratur.

In provincias Caesaris Quaestores non mittuntur. Mittuntur horum loco Procuratores aut Rationales Caesaris. Strabo Rer. Geogr. Lib. XXVII. c. ult et Tit. D. de offic. Proc. Caes.

§. 7. *Responsa prudentium sunt sententiae et opiniones eorum.* Vocabula hac in re solennia Tribonianus descripsit. Theophilus Graece non vertit. Responsa est genus, ex quibus etiam jura constant, cujus generis partes sunt: sententiae et opiniones. *Sententiae* sunt id quod re disceptata sentiunt Jcti, sive certa et firma horum Jctorum judicia scripto consignata de quaestione publice tractata, cujusmodi quaestionum publice tractatarum librum singularem in Pandectis excerptum conscripsit Cervidius Scaevola. Adde Ulpiani et Tryphonini Disputationum Libros, in quibus etiam tractatae fuisse videntur arduae et publice agitatae quaestiones de jure.

Opiniones sunt responsa ab unoquoque horum data imprimis, si ex Ulpiani Opinionum Libris VI. conjicere licet, magistratibus consulentibus. Ex concurrentibus in unum opinionibus hisce in disceptationem deductis potuerunt etiam existere *sententiae.*

Quibus permissum est, hoc est, quibus Jureconsultis Caesar beneficii loco hanc singularem auctoritatem publice respondendi (scribendi, interpretandi) concessit sive edicto sive epistola.

Permitti eximie dicitur de iis juribus, quae veniunt ex ipsa lege, aut ex hoc quod legis vicem obtinet, et tribuuntur alicui et conceduntur. Adde §. 43, 173, 178. II; 110. L. 1. §. 1. D. quod univ. nom. et L. 4. D. ad leg. Aquil. *legis virtus est — permittere* ut est in L. 7. D de

legg. add. L. 2. §. 7. D. de verb. sign. et L. 10. C. de pat. pot.

Atque hoc loco in tanta difficultate conciliandi Gaium, Pomponium, Institutiones, et Theophilum non ineptum sit animadvertere: Gaium et Institutiones usurpare verbum *permissum*, (quod Theophilus vertit ἐπιτρέπειν) et Pomponium verbis: *Augustus jus dedit*, idem plane significare; quod addit Theophilus de senatu etiam permittente explicatur hoc aliquando verbis Spartiani in Vit. Hadriani c. 18.: *in consilio habuit Jureconsultos, quos tamen senatus omnes probasset.*

Instituti gravissimi auctor fuit Augustus, tum ut neglectam juris auctoritatem, de qua jam questus erat Cicero, amplificaret, cujusque studii in Augusto exemplum illustre praebent tituli Institut. Just. de fideicommissariis hereditatibus et de codicillis, tum ut sibi conciliaret alienatos virorum principum animos aegre ferentium Imperatorem sibi sumsisse potestatem constituendi jura epistolis et decretis, tum denique, ne ex diversis scholarum opinionibus saepe cum partium studio conjunctis dispares nimis sententiae in foro existerent, rerumque judicatarum vetus jus prorsus tolleretur. Non videtur magnus adeo fuisse numerus, quandoquidem postea ab Hadriano principes viri jam Praetorio munere functi hunc respondendi sive interpretandi publice honorem petere non dubitaverunt, quos Hadrianus, cum petitioni nondum indulgere posset, excitat ad studium et usum respondendi in L. 2. §. 47 D. de O. J.

— *Jura condere.* Hoc est definire et interpretari, et sententiis et opinionibus stabilire jura personarum, rerum, actionum, de quibus in foro in causarum disceptatione dubitatum et quaesitum sit, eaque responsis signatis ita firma efficere et certa, ut omni controversia sublata, ex lege ipsa manavisse videantur.

— *Quorum omnium si in unum — sententiae concurrant.*

Adjecta haec conditio: *si concurrant*, est temperamentum quoddam amplissimae potestatis prudentibus illis a Caesare permissae.

Quorum omnium. Relativum *quorum* conjunctum cum verbo substantive usurpato *omnium* significare videtur numerum certum haud ita magnum. Sic Arcadius et Honorius in tit. Cod. Theod. IV. 21 laudant prudentium *omnium* responsa. Justinianus in §. 4. Constit: Deo auctore jubet Tribonianum antiquorum prudentium, quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque legum Principes tribuissent, libros ad jus pertinentes legere; horum autem numerus inde a Labeone usque ad Hermogenianum vix quadraginta fuit. Quid si dicimus ex utriusque scholae jureconsultis electos fuisse, qui publice responderent, atque ex his ipsis Caesares adsumsisse consiliarios in concilium suum, quo pertinet L. 30. D. de excusat.

Si in unum sententiae concurrant. Rectius posuisset Gaius vocem *sententiae* ante *si*. Eadem anacoluthi species est in §. 29.: *ut minores si duxerint*, ubi *si* conjungendum cum *ut*.

In unum concurrere proprie dicitur de duabus rebus diversis in eandem personam aut rem convenientibus, quo sensu Gaius etiam infra §. 17. et in L. 68. §. 1. D. de Leg. 1. Justinianus ipse in §. 2. J. de adopt. sententiae diversae non in unum concurrunt; sententiae similes jam statim concurrunt.

Id quod ita sentiunt. Sentire et *sententia* hic eximie dicitur de ipsa post longam deliberationem pronunciata ab omnibus illis jureconsultis communi sententia.

Legis vicem obtinet. De senatusconsultis, de constitutionibus et de responsis eadem hac utitur oratione, ut significet, hasce partes jurium non esse ipsas per se leges, aut ut plebiscita legibus esse exaequatas, sed eandem ac leges in comitiis olim latas habere vim aut legis vicem

obtinere; quibus verbis *illas sententias* etiam significare videtur Marcianus in L. 14. D. de condit. institutt. cum dicat: *conditiones contra edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quae legis vicem obtinent.*

Itaque res a judice judicatae secundum has ipsas Jureconsultorum publice respondentium sententias non usu demum et tempore in foro convaluerunt, ut omnes aliae in quibus judex secutus fuit eam, quam elegerit, sententiam, sed statim observari debuerunt ut consignatae auctoritates et authenticae juris interpretationes, a quibus judici non magis liceret recedere quam a lege aliqua, quo nomine a Papiniano L. 7. §. 1. D. d J. 1. J. appellatur *auctoritas prudentium* qua eadem appellatione jam Cicero illa insigniverat Top. C. 5.

Si vero dissentiunt. Hoc est si non omnium eadem esse adparet de quaestione ad disceptandum in judicio posita sententia, sed alii ex his aliam professi sunt sententiam et opinionem, tum major est judicis potestas.

Pro *si* malim *sin*, ut est in §. 17.

Quam velit sententiam sequi. Non licet judici dato ferre quamlibet sententiam ab omnium responsis scriptis discrepantem, sed ex his *sequi* debet quam arbitratus fuerit optimam. A constitutione autem Valentiniani inde ne hoc quidem amplius integrum fuit, nam sequi debebat in prolatis sententiis diversis potiorem numerum auctorum, tum in numeri aequalitate sententiam Papiniani; sin pares proferrentur sententiae ex scriptis ceterorum quinque Jureconsultorum qui pari essent auctoritate, licuit eligere quid sequi debeat. vid. L. 1. Cod. Theod. 1. 4.

Idque Rescripto Hadriani significatur. Nimirum licere tum judici quam velit sententiam sequi, quando ipsi constiterit de sententiis Jureconsultorum non consentientibus. Videtur Hadrianus consultus fuisse hac de re sive a judice sive a Jureconsulto, et rescripto explicuisse quod quaesitum

erat. Hadrianus non sustulit, sed sustinuit Augusti constitutionem.

— *Significare.* Est verbum solenne de rebus sive a Caesare sive a senatu constitutis aut juris illustrandi causa ordinatis, veluti §. 80. 81. 93. 94. 96.

§. 8. *Omne autem jus quo utimur.* Hoc est, universum jus civile, νομοθεσίαν vocat Theophilus, sive collectio jurium variorum quae ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, constitutionibus, edictis, responsis venerunt, quodque in foro obtinet, triplex habet objectum.

Utimur. *Uti* eximie dicitur de forensi usu juris, qualem illum adhibemus in actionibus.

Vel ad personas pertinet. In hoc uno argumento explicando versatur totus L. 1. Tres sunt praecipuae divisiones prima a §. 9.—48. altera a. §. 48. — 142. tertia usque ad finem, nec tamen perpetua fuit haec tripartita divisio; alii aliam ingressi sunt viam ac rationem.

Ad res. Justinianus aeque ac Gaius jus obligationum et rerum conjungit, utpote conprehendens jus acquirendi res tum mobiles immobilesve sive corporales, tum quae in jure consistunt sive obligationes; Theophilus vero illas sejungit, et tertio quodam loco ponens praemittit actionibus obligationes tamquam harum matres ut inficete ait, ac si ex sola contracta obligatione nasceretur actio.

§. 9. §. 9. *Et quidem.* Verba haec arguunt proxime praecedentia verba *de condicione hominum* non esse recte.

Summa. Hoc est omnium latissime patens, cujus ceterae omnes, quas alii juxta ponere solent, subdivisiones sunt; sic in L. II. §. 2.: *Summa rerum divisio* et in L. III. §. 88. *obligationes, quarum summa divisio est.*

Sed prius. Ne videatur Gaius festinavisse ad locum de jure rerum et actionum et hunc de personis obiter velle tractare, malim, quod etiam in Institt. legitur: *ac prius*, ut mox §. 12.: *ac prius de dediticiis*, add. §. 50. 143. II.

100.; Gaius autem stylum rarissime variat.

Divisio de jure. add. §. 48. vix Latine esse videtur, nisi *de* sic accipias, ut sit *quoad.* In toto hoc opere Gaius abutitur logices praecepto de divisionibus.

Personarum. Ad personas non pertinet divisio hominum in liberos et servos. Gaius vero et h. l. et infra §. 17. non cogitavit civem personam et caput habentem, sed hominem eumque liberum, quippe ad quem pertinet altera pars summae divisionis, nempe quod liber est; sic etiam infra §. 110.: *serviles et liberae personae* et IV. §. 135. *quaecunque diximus de servis, eadem de ceteris quoque personis.* Ulpianus in L. 22. D. de reg. jur. servum vocat *servilem personam.* add. L. 82. §. 2. D. de Leg. 2. Hermogenianus vero in L. 2. D. de statu hominum, cum dicat: *hominum* causa omne jus esse constitutum, solas significat personas sive homines liberos personam habentes; atque hoc jus personarum liberorum potissimum spectat statum, qui cum participem facit familiae, tribuitque jus nuptiarum, patriae potestatis, mancipii, tutelae.

Omnes homines, idque non tantum in orbe Romano, sed in omni orbe veteri, in quem recepta fuit servitus.

Rursus significat: secundo, et mox §. 12. tertio loco, §. 10.
add. §. 49

Libertini ex justa servitute manumissi. Est *justum*, §. 11.
quidquid venit ex jure et legibus, etsi idem sit iniquum. vid. pr. tit. Institt. de exception. mox in §. 17. amplificandi causa: *justa ac legitima manumissione;* neque otiosum est adjectivum *justa*, nam ea sola servitus, quae justa est, efficit, ut manumissus fiat libertinus. Qui in servitute est, sed non eadem justa, hujus manumissio natalibus non nocet. Cicero in Oratione pro Caecina c. 34. *justam servitutem* opponit *servituti* sine adjecta voce *justa* in Orat. pro Cluent. c. 57. Idem in Orat. pro Milone (c. 12. in fragm. in edit. Orelli) *in libertate morari*

opponit *libertatem justam.* Apud Terentium autem in Andria I. 3. 9. *justa servitus* diversa vocis potestate significat servitutem non duram et tolerabilem, qualis fuisse videtur conditio servorum Athenis. Conf. porro Donellus in Comm. Jur. Civ. II. c. II. §. 1.

§. 12. *Dispiciamus* praecessit *videamus* §. 8. Amat Gaius conjunctionem utriusque verbi. *Videre* est: rem universe considerare; *dispicere* eandem penitus ab utraque parte accurate inquirere.

Ac prius de dediticiis. Hoc uno loco Gaius sic vocat, quos ceteroquin semper: *qui dediticiorum numero sunt aut constituuntur.* Ulpianus promiscue vid. Fr. I. 14. 11. VII. 4. Scribendum videtur: *ac prius de dediticiis ex Lege Aelia Sentia* §. 13. *Lege itaque Aelia Sentia.*

§. 13. *Lege — cavetur*

Cavere. Eximie in, significandis primariis legis alicujus particulis.

A dominis poenae nomine vincti. Ulpian. Fragm. I. §. 11. *poenae causa* hoc est: si servos, qui non sine offensa in dominum fuerunt, poena coercet, ut urbane Papinianus in L. 51. §. 1. D. de manumissis testam.

Vincti. Est *vinciri* verbum solenne (vid. Paulus. Recept. Sent. IV. 12. §. 4.), significat autem hoc: si a domino ejusve procuratore (Paulus l. l. §. 8) sunt vincti, sive in carcerem ita conjecti, ut vincula corpori sint adhibita. Hos autem ipsos servos significat Ulpianus in L. 21. D. verb. sign. argumento inscriptionis legis. Potuit igitur satis constare de hac poena inter omnes, ut dominus deinde in servo manumittendo legis vim non eluderet.

Quibusve stigmata inscripta. Pro duriori verbo *inusta* Ulpianus habet *scripta.* Epitome Gaii haec amplificat: *in quorum facie vel corpore quaecunque indicia aut igne aut ferro inpressa sunt, et ita inpressa sunt, ut deleri non possint.* Unde haec oratoria dictio? Suetonius in Caesare

c. 73. *stigmata* usurpat sensu figurato de notis, quibus laeditur alicujus fama et existimatio.

Deve quibus ob noxam quaestio tormentis habita. Ulpianus *propter noxam torti.* vox *tormentis* hic additur, ut intelligatur violenta et dira quaestio, quae non de liberis hominibus, sed de solis servis haberi potuit, quos licuit torquere.

In ea noxâ fuisse convicti sint. Supple: *quique* ex insequentibus.

In ea noxa fuisse. Ut mox: *in — turpitudine fuisse.* Significat autem: in damni illati auctoribus fuisse. Sic recte, quamquam conjeceramus aliquando: *et in ea* [quaestione] *noxiam fecisse convicti sunt.* Hoc autem necesse est, ut poena sit efficax: quare Ulpianus addit: *nocentesque inventi;* et recte Paulus, Sent. Recept. IV. 12. 3.: *tormentis apud Praesidem subjectus et de nulla culpa confessus ad justam libertatem perduci potest*, id autem est, manumissione ad civitatem.

Gaius et Ulpianus non observaverunt discrimen vocabulorum *noxia* et *noxa* quale indicat Ruhnkenius in Scholis ad Terentii Eunuch. V. 2. 13. et J. Caesar etiam in Bello Gall. VI. 16. *qui in furto aut aliqua noxa sint comprehensi.*

Ipse autem Gaius in L. 238. §. 3. D. de verb. sign. scribit *noxiae appellatione omne delictum continetur;* idque rectius, nam noxa est culpae poena.

Quique. Pendet a superiori: *cavetur ut qui;* quare h. l. videtur legendum: *quive.* Est nova legis particula a superioribus sejungenda.

Ut ferro aut cum bestiis depugnarent traditi.

Tradere verbum solenne hac in re, conf. Ulp. Fragm. I. §. 11. et in L. 11. D. ad leg. Cornel. de sicar. Traduntur autem lanistae, ut est in exemplo in L. III. §. 146. add. Coll. Legg. Mos. IV. 3. secundum obligationem ita

contractam, ut emtio venditio sit ratione servorum in ludis occisorum, locatio vero conductio ratione integrorum; hos autem deinde solenniter manumissos lex Aelia Sentia detrudit in numerum dediticiorum.

Inve ludum. Hic malim *inque*, quia est loci interpretatio quaedam. Traditio ipsa servi in manus lanistae, sive in arenam descenderit, sive in palaestra custoditus fuerit, (vid. Suet. in Caes. c. 31.) efficit, ut infamis iste homo numquam ad civitatem Romanam pervenire possit.

Et postea vel ab eodem domino manumissi.

Theophilus non inepte addit: *et postea reconciliatus domino manumittitur;* quibus verbis non tam traditos significat, quam poenae nomine vinctos sive perpetuo sive ad tempus, (vid. L. 8. §. 13. D. de poen. L. 1. Cod qui non poss. ad lib.) et etiam *stigmatias*, ut est apud Ciceronem Offic: II. 7. aut *inscripta ergastula*, ut istud inpunctorum genus vocat Juvenalis Satir. XIV. 24. Remanserunt igitur hi in potestate domini, in qua non remanent damnati in ludum venatorium. L. 8. §. 12. D. de poen. Ulpian. in Coll. Legg. Mos. XI. 7.

vel ab alio, cui dominus istos aut vendiderat, aut dono dederat.

§. 14. *Vocantur autem hi.* Conjunctio *autem* satis probat, verba *de peregrinis dediticiis* tuto abesse posse.

Dediticii. Cum Gaio conveniunt Livius Hist. VII. 31. Jul. Caesar de Bello Gall. I. 27. II. 32. vet. Gl. apud Brisson. in voc. Theophilus vero revocat vim vocis ad eos populos, qui, cum tributarii essent (ὑποτελεῖς) desciverunt, et deinde victi se suaque tradiderunt in potestatem populi Romani; at verba Gaii: *armis susceptis pugnaverunt* magis referri videntur ad eos, qui rebellarunt ad arma confugientes, deinde victi omni jure caruerunt, quam ad populos liberos, qui bello indicto et infeliciter gesto se in ditionem populi Romani tradiderunt.

An his opponuntur in XII Tabb. fortes ac sanates?

Narrat Gellius: noct. Att. X. 3. Bruttios (de quibus Diod Sic. Hist. XVI: 15,) ignominiae causa jussos fuisse magistratibus in provincias euntibus parere et praeministrare servorum vicem. Hujusmodi igitur aliaque onera etiam dediticiis imposita fuisse crediderim.

De Dediticiis in exercitu Romano contra Barbaros militantibus lex est in L. 16. Cod. Theod. de Tiron. VII. 13. add. Brisson. de Form. IV. 39. Vehementer fallitur Isidorus Orig. IX. 4. in explicatione vocis. An *dediticius* est frequentativum adjectivi *deditus*, quod solenne in noxae deditis servis per duplicationem accommodaverint in populos tanquam ipsos noxae se dedentes populo Romano?

quondam. Hic tempus remotissimum significat et idem est atque *olim.* In §. 63 vero significat tempus non diu praeteritum.

Hujus turpitudinis servos. Vox *servus* in omni hac lege *servas* continet, conf. §. 67. quamquam ex causis a Gaio in §. 13. significatis una tantum cadere potuit in mulieres servas, nimirum confessio criminis in tormentis. §. 15.

etsi pleno jure dominorum fuerint. Hoc est: et jure Quiritium, et in bonis, ut explicat Theophilus. add. §. 35. et Disp. For. §. 9. Gaius III. 80. opponit *plenum jus* et *in bonis.*

quocunque modo. Etsi solenni forma vindictae aut testamento manumissus carebit tamen spe civitatis.

cujuscunque aetatis. Hoc est.: etsi triginta annorum major, Ulpianus non addit.

nunquam. At Ulpianus Fr. I. 14. unam tamen ponit exceptionem, quam laudabimus ad §. 21. Fugitne haec exceptio Gaium? an dissensere Gaius et Ulpianus? certe Sueton. Vit. Aug. c. 40. sententiae ille favere videtur, quam Gaius hic acriter defendit a remissiore opinione aliorum, ut apparet ex verbis: *omnimodo dicimus — intelligimus.* conf. etiam §. 26.

Quaerere autem licet, qui hujusmodi libertatis recuperatio, qua ab ipsa urbe prohibebantur, (vid. §. 27.) aliquo beneficii loco potuerit poni?

§. 16. *Si — in nulla tali turpitudine.* Qualis cernitur in vinculis, stigmatibus, tormentis, pugnis. In III. 74. haec significantur mitiori vocabulo *vitio*, in quo si non fuissent, cives fuissent facti.

§. 17. *in cujus persona — concurrunt.* Persona usurpatur de servo, add. §. 8. et 123. *concurrere in* (supra §. 7.) construitur cum accusativo.

major sit annorum triginta. Conf. Dio Cassius, LV, 13. qui dominos sic manumittentes vocat ἀκριβῶς ἐλευθεροῦντας, quod recte Latine redditum est: *plena libertate donantes.*

vindicta aut censu. Vindictae forma, quippe coram magistratu populi Romani observata, omnium fuit efficacissima ad civitatem statim consequendam. Dissentimus autem a Niebuhro Hist. Rom. I. 622. existimante, vindictam sine censu civitatis effectricem non fuisse. Add. Theophilum ad Institt. I. 5. 3.

aut censu. Add. Adn. §. 44. 140. Gaius, quod non est negligendum, interdum totus est in historiae et antiquitatis illustratione, ut etiam ea ipsa, quae sua aetate jam in desuetudinem abiissent, tanquam vigentia adhuc enarret. Exemplum est in §. 3. Post Vespasiani autem tempora nullum amplius lustrum conditum est. Vid. Censorinus apud Schulting. ad Epit. Gaii I. 1. §. 1. Quare etiam Ulpianus Fragm. I. 8. censum refert inter modos, quibus olim manumittebantur.

In Disp. For. §. 19. agitur de censu ut de re praesente et in foro vigente, eademque tractatur quaestio, atque est apud Ciceronem de Orat. I. 40.

Una igitur tantum forma legitima manumissionis inter vivos superfuit, nempe vindicta, quare hanc etiam solam excitat Tacitus Annal. XIII. 27. donec sub Constantino nova accesserit forma a clero excogitata: *manumissio*

in ecclesiâ; L. 2. C. de his qui in eccles.

aut testamento. Ulpianus Fr. II. 12. addit. *codicillis testamento confirmatis*

Latinus erit. Sive ut est in Institt. *minorem libertatem consequitur*, cui opponitur alibi *major et justa*, sive civitas Romana. Jure Attico manumissus non recipiebatur in jus civitatis, sed fiebat inquilinus sive *μέτοικος*, solvebatque hoc nomine vectigal *μετοίκιον*. vid Harpocrat. in voc. conf. etiam Demosth. orat. pro Phormione II. 946. (ed. Reiskii.)

Quod autem de aetate servi requiritur. Conjunctio *autem* argumento est male appositae inscriptionis: *VI. de manumissione vel causae probatione.* §. 18.

de aetate servi. Item de aetate domini cavit §. 38. Fuit igitur hoc sensu lex quaedam annalis.

minores XXX annorum servos. Etiam censu non potuisse manumitti huius aetatis servum, docet Disp. For. §. 19.

non aliter manumissos cives Romanos fieri. Praeterquam in singulari causa in §. 21.

Quid si servus triginta annis minor in testamento domini manumittitur? Fiet Latinus. Vid. Ulp. Fr. I. 12. add. adn. ad. §. 23. Apud Gaium hac de re nulla mentio.

si vindicta apud consilium. Significatur etiam hoc consilium in L. 4. §. 2. et l. 16. D. de manum. vind. ubi vocantur: *Judices.* Quid si vindicta quidem adhibita est, consilium vero non est auditum, obreptumque religioni Praetoris? nempe manumissio ista erit inefficax. Eadem quaestio attingitur apud Ulpianum, Fragm. I. 12. de quo corrupto loco conf. Böckingius; quam vero substituit lectionem *censuve* haec non satis placet, quia Ulpianus jam in §. 8. docuerat, hanc manumittendi formam sua aetate non amplius obtinuisse. Praeterea vereor an verbum *putat* de lege aut senatusconsulto satis recte usurpetur; nam est opinantis magis quam jubentis aut vetantis. Nullius autem in hisce quidem fragmentis JCti sententiam lau-

dat Ulpianus; nec dicas lustrali censu sublato retentum tamen fuisse censum, de quo Ulpianus Libros VI conscripserat, aut apud Ulpianum *olim* transponendum esse post *qui*. Lachmannus in adnot. critica ad Ulpiani Fragm. in Ephem. jurisp. hist. IX. 184. retinet lectionem *putat* et *censuve*. In verbis vero *ideo sine consilio* conjicit *id est sine consilio*.

Justa causa adprobata. Hoc est aequa, pia, honesta, cui Ulpianus in L. 16. D. de man. vind. opponit *causam ex luxuria et deliciis*, et *non ex justa affectione descendentem*. vid. etiam §. 102.

adprobata. add. §. 29. *Adprobare* minus est, quam *probare*: *adprobare* est persuadere, veluti judici, causam probatam esse; *probare* est argumentis ipsis omnem tollere dubitationem, quamquam non perpetuo haec propria vis verborum observatur. Vid. etiam §. 29. *approbare — se duxisse, apud quem causa probata*. Praeterea *probare* dicitur de rebus jam gestis; *approbare* de iis, quas et quare quis docet se facturum esse.

non aliter — quam — vindicta; at vid. §. 21.

§. 19. *fratrem sororemve naturalem*. In Institt. I. 6. 5. *Naturales*. Praeferenda lectio *naturalem*, ut in L. 11. D. de manum. vind. Potest autem vox abesse, nam non alii quam naturales possunt intelligi; quare etiam Basilica non reddiderunt in versione.

procuratoris habendi gratia. Quod additur in L. 13. D. ll. et in Institt. de aetate septemdecim annorum non minore, pertinet inprimis ad procuratorem negotiorum judiciariorum, conf. L. 12. C. de procurat. Ceterum verba: *procuratoris habendi gratia* et *matrimonii causa* videntur fuisse hic solennia. Theophilus Latina integra reliquit. Animadverte etiam *gratia — causa*.

ancillam matrimonii causa. Ipsum hoc exemplum de serva petitum argumento est, non mulieri dominae servum, ut viro domino servam, matrimonii causa manu-

mittere licuisse: Conf. L. 14. §. 1. D. de man. vind. Adjicitur huic causae in Institt. conditio de tempore, intra quod matrimonium cum manumissore sit ineundum. Nimirum lex Aelia Sentia ipsa de conditione ista non cavit, quae ob legis Papiae Poppeae auctoritatem senatusconsulto quodam postea obtinuit, ut Ulpianus docere videtur in L. 13. D. II.

Quid igitur, si manumissam non duxerit? manumissio, quippe sine causa facta, erit inefficax. L. 21. D. qui et a quib. manum. Vide tamen L. 13. D. de manum. vind. An idem dicendum de servo procuratoris habendi gratia? Non ita: nam hîc non una certaque causa facto probanda adest, et nemo temere hanc adprobaverit causam, nisi servum tam peritum jam actorem habuerit, cui summam rerum suarum credidisset. Ceterum Marcianus in L. 9. D. de man. vind. aliam etiam laudat justam causam hanc: *si periculo vitae infamiaeve dominum servus liberaverit.* Exemplum praebuere servi Milonis. Vid. Cicero in Orat. pro Mil. c. 22.

VII. de Recuperatoribus. Haec inscriptio vix potest esse §. 20.
recte; nam de recuperatoribus non magis sermo est, quam de consilio universe. Adde, quod verba *consilium autem* continuo insequi debent verba proxime praecedentia *apud consilium manumittat.*

Consilium. Electi e decuriis, in quas descripti essent judices.

in urbe Roma. An adjecta *urbs* eam habet significandi potestatem, quam ei tribuit L. 87. D. de verb. sign. et L. 139. eod? videntur fuisse scripta in ipsa lege, add. IV. 104. et opposita *in provinciis.* Mox Gaius ipse: *Romae.*

adhibetur. Et ut a Theophilo discimus, adhibetur a Praetore, cui in tribunali sedenti hi senatores et equites advocati adsident. Ulpianus Fr. 13a.: *in consilio adhibentur senatores — equites.*

quinque senatorum et quinque equitum. Nimirum, ut hac etiam in re observaretur religiose aequabilitas utrius-

que ordinis, ex quo judicum decuriae lege Julia judiciaria compositae erant. Unde factum, ut hi ipsi, qui ex e curiis judicum in hoc consilium legerentur, nomine *judicum* appellarentur, ut in L. 16. D. de man. vind. et in L. 1. Cod. si vindict. Omne autem ipsorum officium cernebatur in cognoscenda causa, si qui essent, qui contradicerent causae probationi. Nulla fertur sententia; quin etiam ipsa probatio causae falsae superstructa non rescinditur. L. 9. §. 1. D. ll.

Necessarius numerus *decem* decepit viros doctos, qui decemvirorum consilium esse putarent. Decemviri autem stlitibus judicandis fuere ut certe nobis videtur, magistratus, qui Praetori urbano in cognoscendis causis variisque muneris negotiis obeundis adessent, ejusque partibus vicariis fungerentur in regundis judiciis centumviralibus.

puberum. Et ejus aetatis, qua potuere legi in judices; id autem est, ut videtur octodecim annorum ob L. 57. D. de re judic. Adde Spartianum in Vit. Hadr. c. 2. ibique Casaub. in not.

in Provinciis autem XX Recuperatorum.

Quod de duplicato numero praecipitur, significatum fuisse videtur ipsa lege Aelia Sentia. Nimirum voluit lex hoc numero supplere quod deësset dignitati et splendori recuperatorum ex negotiatoribus viris honestis sed plebeii plerumque ordinis lectorum. Non in provinciis, ut Romae certae judicum decuriae quotannis describebantur.

recuperatores. Hi nihil praeter nomen commune habent cum recuperatoribus in urbe, apud quos Cicero habuit orationes pro Tullio et pro Caecina, et quos spectant complures loci in Lib. IV. §. 46. 105. 109. Theophilus illos propterea *peregrinos* appellat *recuperatores*, quippe cognoscentes hujusmodi causas et judicantes inter homines provinciales et cives.

ultimo die conventus. Confirmant haec verba id quod

Theophilus hic copiose narrat verbum *conventus* graece non vertens. Obiter h. l. monendum est, Gaium admodum diligentem in laudandis singulis institutis commemorare, quid in urbe, quid in provinciis obtinuerit vid. §. 6. 101, 105. 183. 185. 198. 200. III. 122.

Romae certis diebus. Theophilus: *uno conventus die.* At conventus pertinet ad provincias et significat inprimis judicia, quae magistratus provincialis tum publica tum privata habet, convenientibus, qui ad haec convocati essent, tempore hiberno civibus Romanis ibi negotiorum causa commorantibus.

apud consilium manumittuntur. Ut ibi ipse manumissionis actus solennis, sive vindicta, celebraretur, necesse fuit, ut Praetor, aut qui ipsius vices sustineret, huic consilio pracësset. An potuit etiam apud consulem omne hoc negotium peragi? ita videtur ob L. 1. §. 2. D. de offic. cons. An hoc ex senatus consulto ad legem Aeliam Sentiam facto?

semper. Hoc est, quocunque tempore et die, sive feriato sive non. Add. II. 279. Cicero dixit: *quotidie* in Orat. pro Caelio c. 1. Gaius opponit: *cum res aguntur.*

in transitu. Est nihilominus solennis et civitatis effectrix manumissio, quippe coram magistratu majori facta per vindictam, praesente vel etiam absente lictore, ut respondisse se narrat Ulpianus in L. 8. D. de manum. vind. Potuit etiam in privata domo fieri, argumento Epist. Plinii VII. 16. Ceterum diligentius quam h. l. haec explicat Gaius in L. 1. D. de manum. vind.

Proconsule. In Institutt. Justin. vetusta forma non reperitur. Potuit olim etiam apud alios manumitti magistratus Pop. Rom., veluti apud Dictatorem, Interregem, Censorem; Vid. Livius Hist. XLI. 9. Nonne etiam in municipiis? et ita est, si magistratus municipalis habeat legis actionem. Vid. Paul. Sent. II. 25. §. 4. et l. 4. C. de vind.

balneum. Significantur publica, quibus etiam viri principes utebantur. Vid Sueton. in Vit. Titi. c. 8, Spartian. Vit. Hadr. c. 17.

theatrum. Id est, ad spectacula. Add. Lib. III. §. 225. In Graecis civitatibus erat pro concilio populi, vid. Nepos Vit. Timol. c. 4. et Cic. Orat. pro Flacco c. 7. Quaerere licet, quomodo hujusmodi manumissio in controversia de statu postea facta potuerit probari? vix dubito, quin in his aliisve negotiis innumerabilibus multo major fuerit usus instrumentorum, quam vulgo creditur, sive statim sive paulo post confectorum. Cogitemus rescriptum Alexandri in L. 2. Cod. de testibus: *soli testes ad ingenuitatis probationem non sufficiunt.* Conf. disp. inaug. doct. T. S. Tromp, de probationibus familiae apud Rom. L. B. 1837, adde in manumisso etiam verti commodum aerarii, cui debebatur vicesima manumissionis pro vectigali de quo Liv. Hist. VII. 16. XXVII. 10. et Festus de verb. sign. voc: manum.

minor triginta annorum. Addit Ulpian. l. l. *vel in ea causa sit, ut dediticius fieri debeat.* vid. supra.

§. 21. *liberum* et *heredem relictum.* In L. II. 160. et 276. *institutus;* rectius est *relictus;* convenit hoc in utrumque et libertatis dationem et institutionem; *institutus* tantum pertinet ad heredis scriptionem. Apud Ulpianum Fr. I. 14. *testamento liber esse jussus et heres institutus.* Adde porro Institt. I. 6. §. 2.

qui solvendo non erat. Haec ipsa necessitas, in qua obaeratus dominus versatur, est justa manumittendi causa probatione non egens; quare locus aptus est superiori.

Si. Ex Ulpiano Fr. II. et ex Institt. supplendum: *si tamen alius ex eo testamento nemo heres sit.*

Ex dispersis verborum vestigiis conjicere licet, Gaium h. l. monuisse de creditore, in cujus fraudem servus non sit manumittendus: de pluribus servis heredibus scriptis; de servo, quem testator non jure Quiritium *mancipatione*,

sed in bonis tantum *traditione* habuit, quem non facturus sit civem, sed *Latinum;* ut minus miremur, Gaium plura de lege Aelia Sentia silentio praeteriisse videri.

Latere in lacuna sententiam e Gaii Rer. quotid. in L. 10. D. qui et a quibus manum. in Institutiones translatam, veri videtur simillimum. An pro *spuriis* legendum *sperant;* ut est in laud leg. 10? at obstat quod prodiisse videntur vox: *natu;* Quid si dicamus, Gaium attigisse h. l. caput legis Aeliae Sentiae de anniculo nato, non *spurio* eo et vulgo quaesito, sed ex uxore, quam liberorum quaesundorum causa duxerit? Quod in *oculus* lateat nomen *Proculus* probabiliter admodum conjecit Cl. Heffter laudans L. 7. §. 1. D. II.

Ideo quia. Adde. III. 56. ubi Gaius haec universe repetit, *ideo* etiam construens cum *quia.* §. 22.

Adsimilati sunt. Rectius quam in Disp. For. de manum. in §. 6. *exaequavit.* Ficticii fuere Latini, si hoc usurpare licet. In L. un. pr. Cod. de lat. lib. toll. appellatio nominis sic describitur: *Latini ad similitudinem antiquae Latinitatis, quae in coloniis missa est.*

Per legem Juniam. Id est ope et beneficio hujus legis. Haec enim est vis hujus praepositionis *per*, conf. §. 29. vide tamen II. 275. Justinianus et Theophilus utroque nomine insigniunt. In titulo vero Cod. de lat libert. solum legitur nomen *Junia;* nec duo videntur consules fuisse Junius et Norbanus. Imo Gaius diserte loquitur III. 56. de latore legis Juniae.

Libertatem acceperunt. Deinceps *Latinam* dictam. Huic nunc libertati Latinae opponitur *esse* sive *morari in libertate*, et *in libertatis forma.* Liberi sunt, neque indigent amplius auxilio Praetoris. Non possunt repeti in servitutem a domino, quem liberalitatis suae poeniteret; nec tamen haec Latina libertas tanta fuit, ut Tacitus Annal. XIII, 17. dubitaret dicere illos veluti vinculo servitutis attineri. Nimirum etsi dominus non amplius habebat in bonis, reti-

nuerat tamen jus Quiritium, cujus summa vis spectatur in manumissorum morte. Vid. III. pr. Disp. For. §. 5.

cum olim servi viderentur esse. Olim, id est, usque ad hanc ipsam legem Juniam.

servi viderentur. Hoc est, ut Cicero illos describit in novis fragmentis Orat. pro Milone, c. 14. ed. Orelli, *dominorum voluntate in libertate morabantur*, solenni dictione usus. Vid. §. 27. et Brissonius voc. *morari*. Horum igitur libertas non jure sed facto censebatur. Servabantur *in libertatis forma*, ut Gaius ait III. 56. et *possessionem libertatis consequebatur*, quod in L. 28. D. de lib. caus. eodem jure dicitur ac contrarium *possessio servitutis* in L. 16. pr. D. de bon. lib. Non erant liberi, sed domini voluntate in libertate erant, ut Ulpianus ait Fr. I. 12. aut morabantur, et tantum, ut est in Disp. Forensi §. 4. servitutis timore, id est, serviendi metu dimittebantur, tuente eos in libertatem Praetore contra dominos per vim repetentes in servitutem. Deërant autem formae, quae solae justae libertatis ac civitatis effectrices erant.

Atque ex hac tristi incertaque manumissorum conditione proficere volens Clodius, ut istorum studia erga se excitaret operaque uteretur, constituerat, ut justa libertas ac civitas Romana cum suffragio in rusticas tribus ipso jure daretur.

Excidit quidem tum spe Clodius, (vid. Cicero ll.,) sed hoc ipsum ejus facinus aliorumque deinceps principum in civitate virorum machinationes advertisse videntur primum latorem legis Aeliae Sentiae, deinde legis Juniae, ut mediam incedentes viam servis istiusmodi manumissis spem civitatis adipiscendae ostenderent et certum iis statum adsignarent.

Retenta autem videtur dictio *in libertate morari* etiam post legem Juniam de iis, qui libertatis Latinae participes fierent, vid. L. 10. D. de servis exportandis et L. 16. §. 2.

D. de bon. lib. L. 28. D. de liber. causa, nisi Pomponius ibi refert ipsa verba Scaevolae significantis conditionem istius modi manumissorum, quos Gaius ait olim servos visos fuisse. L. 31. §. 2. D. de usurpat. huc non pertinet, nam ibi *servus* vocatur, neque l. 30. §. 17. D. et L. 4. C. de fid. libert. Aliquando addebatur ipsa vox *Latina*, ut in edicto Claudii apud Justinianum in L. un. §. 3. Cod. de Latina libert.: *in libertate Latina antea morabatur.*

Non tamen permittit lex, hoc est: vetat lex; nominatim prohibet, ut ait Ulpian. Fr. XX. 14. adde Gaium II. 110. §. 23.

testamentum facere. Quippe quod jus solorum civium Romanorum est; Latini praeterea non habent, unde donent, nam habent manumissores ad quos in ipsorum morte bona redeant. Ulpian. Fr. ll. et §. 4. Inst. de bon lib.

Negatur his ultimum voluntatis arbitrium, et quae superstites habent, morientes donare non possunt, ut ait Salvianus apud Schultingium in not. ad Epit. I. 1. 4. Quod docet Gaius III. 72. spectat civem eum, qui ex Latino ita factus est civis consecutusque est jus Quiritium, ut integra remanserint in ejus bonis patroni jura.

ex testamento alieno capere. Quare non? nam hoc augmentum rei familiaris aliquando lucro cedit manumissori; at ex testamento civis Romani non militantis soli cives capiunt; soli cives adeunt hereditates civium. vid. Cicero Orat. pro Archia c. 5. Militi autem permissum est, etiam Latinos et peregrinos instituere heredes vel iis legare. (II. 110.) Quid? si Latinus injuste heres scriptus interea jam civis Romanus factus fuerit in morte testatoris, an capiet? Ita videtur, arg. Ulpian. Fr. XVII. 1. ceterum Cicero ll. utroque hoc argumento utitur pro Archiae civitate in discrimen vocata: *testamentum saepe fecit nostris moribus et hereditates adiit civium Romanorum.*

Donationes inter vivos ut capere possent, nihil vetuit. Exemplum est in Fragm. Vat. §. 259.

tutores testamento dare. Servus igitur tutor datus in testamento apud Paulum L. 32. §. 2. D. de testam. tut. minor annis triginta non potuit hoc antiquo jure tutor fieri ob legem Aeliam Sentiam, vid. §. 29, neque ad causae probationem apud consilium ipse admitti, ut putare videtur Schultingius ad ll., nam causae probatio, qualis exponitur in §. 18. solius est domini. At Paulus Ulpiani aequalis hunc servum aetate triginta annorum minorem sine libertate tutorem datum non tantum liberum esse docet, sed etiam tutelam ei defert inde ab impleto vicesimo quinto aetatis anno. An dicamus tutoris dationem in testamento tantum valuisse ac causae probationem apud consilium, aut aetate Pauli jam obliteratam fuisse vim vetiti legis Aeliae Sentiae et senatusconsulti, quod laudat Gaius II. 275? cet. conf. §. 18. Atque huc etiam spectat Fragm. Vatic, §. 172. In suscipiendo autem onere tutelae eorum, qui eadem secum conditione utuntur, habent easdem excusationes, atque ipsi cives Romani. Vidd. Fragm. Vat. §. 193. adde §. 221., ut habuere etiam jus commercii, sive jus emendi vendendi per mancipationem, et adquirendi dominia rerum ipsis a cive Romano donatarum, vidd. Fragm. Vat. §. 259. et Ulpian. Fr. XIX. 4. An vetitum etiam pertinet ad tutelam dativam? res ipsa loquitur.

§. 24. *nihil directo. Directo* hic adverbialiter. In simili loco II. 275. III. 84. Gaius scribit: *directo jure*, hoc est, jure ex ipsis legibus civilibus recte manante. Opponitur *per fideicommissum*, in quo benignior est juris interpretatio.

hereditatis legatorumque nomine.

Sunt vocabula juris civilis, quae in Latinum aut peregrinum non cadunt. Vid. II. 110. Ulpian. XXV. 7. *Latini fideicommissum capere possunt*, licet legatum capere non possint. Itaque quod capiunt per formam fideicommissi, hoc ipsum non est hereditas aut legatum, sed in foro audiit fideicommissum, sive universale, sive singulare,

in quo vindicando petendi jus non usu venit, quodque non habent jure Quiritium, sed in bonis. An huc pertinet L. 63. D. ad sCtum Trebell.? Qui voluit favere civi Romano hujusmodi Latinorum patrono, quem forte non licebat scribere heredem, hic per Latinum fideicommissum capientem facile hoc potuit efficere, nam in morte istius Latini veniebat omnis pecunia patrono.

nullo modo. hoc est, nec directo jure, nec per fideicommissum. §. 25.

liber peregrinusque. Recte potuit Gaius hoc afferre exemplum, aetatem suam significans. Ante Hadrianum vero peregrini omnino per fideicommissum capere potuerunt, II. 285. qua ipsa in re distincti peregrini et Latini.

nec ipsi, hoc est, qui dediticiorum numero sunt.

plerisque placuit. Videtur igitur hac de re quaesitum fuisse, cum sileret ipsa lex; sed vicit sententia eorum in utraque schola Jureconsultorum (nam sic *plerosque* intelligo, in quibus ipse Gaius III. 75.) qui isti generi hominum, quamquam solenni modo manumissis et ob turpitudinem tantum non receptis in civium numerum, testamenti factionem tribuendam esse negarent. Conf. omnino Gaius III. 75. de mente legis disputans. Adde etiam Ulpianum. Fr. XX. 14.

pessima libertas, id est, nullius prorsus efficacitatis et pessimae conditionis, ut est infra III. 75. §. 26.

lege — senatusconsulto — constitutione. Gaius tres indicat hosce fontes, a quibus solis aliquid novi proficisci posset in jure civitatis sive minuendo sive amplificando. add. Gaium L. 1. D. quod cujusq. univ. et l. 83. D. de hered. instit. et adn. ad p. 5.

morari prohibentur. Morari est eorum, qui certam rerum suarum sedem non habent; hoc autem lege Aelia Sentia cautum esse ex Gaio maxime discimus; nam L. 2. D. qui et a quib. manum. huc non pertinet. §. 27.

Constitutione principali. Si singularem numerum usurpat Gaius, postponit adjectivum, vid et. III. 32. In plurali vero contra. Vocabulum *principalis* hanc potestatem propriam obtinuisse videtur, postquam frequentissimae esse coeperunt Caesarum constitutiones, quas ipsas si laudat Gaius, veluti in II. 109. et Ulpian. Fr. XXIII, 10. significantur certorum Caesarum certae constitutiones.

ipsi bonaque eorum publice venire jubentur.

Jubere eximie de rebus, quae ex legibus veniunt et earum sanctionem continent.

Ipsi bonaque. Itaque si deprehenduntur in ipsa urbe, atque adeo legis vetitum non observaverunt, permissum fuisse videtur manum injicere et sub hasta ipsos bonaque vendere, ut Athenis peregrini, qui in civitatem irrepsissent, ad πωλητὰς abducti vendebantur.

ea conditione. Hoc est, pactum adjectum huic venditioni publica auctoritate factae, duo habuit veluti capita, alterum: de non serviendo intra centesimum lapidem, alterum: de perpetua ejus servitute, cui pacto sive legi, si non in ea steterit emtor, huc accessit sanctio sive poena: manumissum contra legem non liberum fore sed servum publicum sive populi Romani.

servi populi Romani. Sunt servi publici, quales praesertim erant Romae notarii et tabelliones, qui magistratuum decreta et judicia excipiebant, aut operibus publicis, fabricae, et tutelae aquaeductuum deputati erant. Vid. L. 8. C. de servis fug. et Gothofr. ad Cod. Th. tit. de aquae ductu (XV. 2.). At docet Ulpianus F. XX. 16. habuisse servos publicos jus testamenti faciendi pro parte dimidia. Ergone is, qui, cum adhuc dediticiorum numero erat, testamentum prorsus facere non potuit, utitur nunc meliore juris conditione? Non absurdum sit statuere publico populi Romani servo, cujus non civis aliquis privatus, sed universus populus dominium haberet, gratiae causa aliquid

concessum fuisse, quod negaretur manumisso isti, qui ne in urbem quidem recipi potuit.

Athenis etiam istiusmodi servos (δοῦλοι δημόσιοι vocabantur) satis tolerabili conditione usos fuisse, tum aliunde constat, tum ex insigni Aeschinis loco in Orat. in Timarch. p. 79. 82. adde Cujacium in Parat. Cod. VII. 9.

Et haec ita lege. *Ita* significat laudata verba esse ipsius legis hic a Gaio descripta; add. §. 93. Videtur igitur hic de manumissis dediticiorum numero locus unus ex gravissimis legis partibus fuisse, quippe conjunctior cum ipso ejus consilio, quod Augustus significat apud Dionem Cassium Hist. Lib. LV, 13. 33.

Quibus modis Latini ad civitatem Romanam perveniunt. Haec inscriptio necessaria est, quia nec §i 28 argumentum aptum est superiori, nec conjunctione aliqua loci cohaerent. Ulpianus III. 1.

Jus Quiritium consequuntur. Nam promiscue usurpatur, nec destinguuntur ii qui causa eorum probata ad civitatem Romanam perveniant in §. 67. 199.

statim. Hoc loco idem est atque *ecce* §. 84. Excitat exemplum nunc ex pluribus modis adferendum de civitate quomodo acquiratur a Latinis ex lege Aelia Sentia. §. 29.

minores triginta annorum manumissi et Latini facti.

Gaio appellatio ista *Latini*, quae ex lege Junia venerat, et de omnibus usurpabatur manumissis non civibus factis ob causas in §. 17. indicatas, tam familiaris et in ore fuit, ut illa etiam utatur iis locis, ubi adhuc totus est in explicanda antiquiore lege Aelia Sentia, (arg. §. 80.) quae de Latinorum appellatione et conditione non cogitaverat. Vid. v. c. § 15. juncta §. 21. Nec Gaio tantum, sed Ulpiano etiam idem accidit. In Fragm. Tit. 1. frequens mentio est legis Aeliae Sentiae et Latinorum, nulla vero legis Juniae, unde Latini venerunt.

In tit. vero III. §. 3. excitat legem Juniam de hoc ipso

argumento, de quo una cavit lex Aelia Sentia; ut Gaius hic docet §. 67 et Ulpianus ipse confirmat Fr. Tit. VII, 4.

Neque aliter explicanda in Disp. For. §. 10 verba haec, *ut possit servus habere libertatem, talis esse debet, ut Praetor sive Proconsul libertatem ejus tueatur, et hoc lege Junia cautum.* Imo lege Junia cautum, ut Praetoris auxilio non amplius indigerent, quum certus ipsis status et nomen tribueretur.

Nec mirum, nam quod saepe fieri solet, ut ea, quae posterior quaedam lex in aliquo superioris legis capite aut confirmaverit aut amplificaverit, promiscue ad priorem posterioremve legem referantur; idem hic etiam usu venisse videtur.

Gaius hic rectius abstinuisset a voce *Latini*, aut addere debuisset verbo *manumissi: et nunc Latini Juniani dicti*, ut infra III, 56., quamquam adjecto verbo *facti* h. l. et §. 31. *manumissi et Latini facti* significasse videtur, quid vellet.

ut minores — si uxores duxerint — vel cives Romanas, De anacoluthi specie hac: *ut minores si*, conf. §. 7. Si rem ad vivum resecare volumus, non potuit manumissus in libertate moratus uxorem ducere Romanam, quoniam sane non connubium est ei, qui incerto usus statu et obnoxius vindicationi in servitutem ne jure gentium quidem matrimonium recte copulaverit; at vocabulum *uxor* in L. 8. C. de servis fug. de ea usurpatur, quae in contubernio est cum servo publico.

Voluit lex Aelia Sentia severitatem suam in servos turpes manumissos et minores 30 annis (vid. §. 13. et §. 17. 18.) temperare, tum praescriptis in §. 19. et §. 21. tum etiam ostensa spe civitatis, si bene de ea meruerint, et quidem eo facto, quod illis temporibus ob imperii Romani et morum conditionem magni aestimabatur, nempe jungenda sibi uxore, gignendo ex illa filio, eumque educando, ut ita

annum jam natus offerri posset magistratui populi Romani tamquam futurus civitatis civis. Nec major hic domino inferebatur injuria, quam deinde lege Junia, quae certo statu tributo et sublato jure repetendi in servitutem, multo magis excitaret Latinos suos coloniariis adsimilatos ad matrimonia jam jure Quiritium recte contrahenda. Praeterea valde circumscripta fuit omnis haec spes, nam qui uxorem duxisset et filium genuisset, tamen, si hic moreretur intra annum, Latinus remanebat. Denique adjuvit mox vehementer patronos Lex Papia, vid. infra III. 54.

vel cives Romanas. Sic cautum lege Aelia Sentia, sed mutatum hoc est ab Hadriano, in §. 30. Add. porro §. 65. §. 70. et 80. Solus Latinus hic opus habet adeptione civitatis; uxor et filius jam cives sunt.

Latinas coloniarias. Intelliguntur ii, quibus datum erat jus Latii ductum a coloniis Latinis, de quibus conf. omnino §. 131. III. 56. et Ulpianus Fragm. XIX. 4. Laudata verba sunt ipsius legis Aeliae Sentiae, ad quam ipsam appellationem lex Junia deinde Latinos suos conformavit.

ejusdem conditionis, cujus et ipsi essent. Haec etiam verba videntur esse ipsius legis. Describuntur ii, qui postea Latini Juniani dicti sunt; idem mox in fine hujus §. Hi igitur jus commercii habuerunt, connubii non habuerunt.

Conditio. Significat conditionem civilem, qua in civitate utebantur, quae tamen ante legem Juniam plane incerta erat.

Idque testati fuerint: Sive testatione interposita: quod uxorem duxerint et quidem liberorum quaesundorum causa, vid. Ulpianus Fr. III. 3., qui tamen nihil monet de numero testium in matrimonio ineundo, qui hic idem est atque in mancipatione. In ritu confarreationis adhibentur decem. Vid. §. 113.

Adhibitis non minus quam septem testibus.

Est formula dicendi ***non minus quam***, ut significetur, non minorem sed majorem numerum posse adhiberi. Vid. §. 33. 113. et 119. II. 104. III. 175. Consignabantur tabulae, quibus et dos continebatur et laudata solennis conjugii causa, unde testatio ipsa eximie significat munitam testibus scripturam. Conf. laud. Disp. Trompii, p. 124.

Et is filius anniculus fuerit, Id est qui diem natalium 365dum attigerit. L. 132. D. de V. S. Apud Ulpianum Fr. III. 3. additur: *filia*. Videtur Gaius voce *filii* etiam filiam comprehendisse. Rationem legis significabimus infra §. 73.

si velint. Nam profecto non coguntur, sed jus causae probationis filio jam plures annos nato illis integrum manere videtur, nec tempus ipsi praescribi.

se ex lege Aelia Sentia uxorem duxisse. Omittitur formula *quaesundorum liberorum causa*, quam habet Ulpianus Fragm. IV. 3. Similis est potestas: *procreandorum*, quae laudatur in L. 122. de verb. sign. et L. 9. Cod. de nupt. Urbanius vero Tacitus, Annal. II, 26. *suscipiendorum liberorum causa*. Brisson. de Form. VI, 122. allatis exemplis explicat hanc in nuptiis contrahendis formulam solennem traductam ex Graeca formula fere simili et rem etiam magis ad vivum depingente: ἐπὶ παίδων γνησίων ἀρότῳ, de qua copiose Creuzer in libris de Symbol. II. 416. IV. 450. add. Ruhnken. in Schol. ad Sueton. (ed. Geel) p. 34. et Meinecke ad Menandri. Reliquias p. 148. Liberi hic eximie significantur justi ac legitimi.

Praetorem. Intelligendus nobis videtur Praetor peregrinus, apud quem etiam agebantur causae publicae de civitate. Exemplo sunt Orationes Ciceronis pro Balbo et pro Archia Poeta.

in Provinciis. Lege deinde Junia lata in Provinciis vix intelligi potuisse videtur appellatio *Latini*.

adprobari, aut adhibitis iisdem septem testibus, qui in matrimonio adfuerunt, aut oblatis tabulis consignatis.

ex lege Aelia Sentia. Hoc est, secundum praecepta le-

gis Aeliae Sentiae matrimoniorum fautricis et ostendentis spem civitatis iis, qui praesentibus septem testibus declaraverint, se uxorem duxisse liberorum causa.

is apud quem causa probata. Describitur persona ejus, qui nomine Praetoris causam cognoscit.

id ita esse pronuntiaverit. Videtur est solennis formula. Praetor causa cognita et probata sententiam fert: *id ita esse*, et continuo cives esse jubentur.

Anniculum sui juris natum nunc redigi in patriam potestatem docetur infra §. 64.

ex novo SCto auctore divo Hadriano. Videtur igitur hoc senatusconsultum aut ex ultimis fuisse Hadriani regnantis, aut ex ejus auctoritate post obitum esse factum. Ulpian. III: 3. non addit: *novo*, nec addere potuit, quia floruit post Gaium. Add. §. 77. 80. *Ex auctoritate Hadriani* §. 47. et III. §. 73. *auctor fuit SCti faciundi.* An identidem significatur, ad orationem Hadriani haec SCta facta fuisse? §. 30.

SCtum profligavit perversam utriusque legis interpretationem, quae usu in foro dudum obtinuerat, quasi non juris naturae sive gentium regula hic amplius valeret, sed jus quoddam connubii adesset, et filius civis Romanae Latino nuptae patris conditionem sequeretur, causaeque demum probatione ad civitatem perveniret. Vid. porro §. 66. 80. injustus tamen est filius patrem jure summo civili non habens.

si uxor — civis est. Legendum videtur: *sit*, *is*. Apud Ulp. Fragm. III. 3. ubi complura ad verbum fere conveniunt cum hoc nostro loco, legitur: *si uxor civis — sit*, *partus quoque civis Romanus est.*

Hoc tamen jus — tamen postea. Potest hoc alterum *tamen* tuto abesse. §. 31.

hoc jus. Nempe descripta h. l. ratio et modus adipiscendi per causae probationem juris civitatis.

Senatusconsulto, *quod Pegaso et Pusione Consulibus.*

Laudatur etiam, ut videtur §. 67. 71. etsi nomen non additur, et II. 142. III. 5. 73.

Quale senatusconsultum significaverit Ulpianus III. 4. nunc discitur ex h. l. Argumentum fuisse videtur: erroris causae probatio; quare identidem cum lege Aelia Sentia conjuncta, tamquam quaedam adpendix, laudatur. Accessit deinde senatusconsultum gravissimum Hadriano auctore factum, quod novas amplificationes adjecit. Conf. §. 30. 76. 80.

etiam majoribus triginta annorum. Potuerunt itaque hi, cum antea confugere deberent ad iterationem, causam probare anniculo nato.

concessum est. Eximie usurpatur de SCtis saepe juris Praetorii partes suscipientibus et aequitatem tuentibus; nam durum videbatur hunc prole beatum ob aetatem prohiberi a beneficio civitatis et mori tamquam servum.

§. 32. *Probarit*, quam lectionem jam commendavimus in ed. primae adnot. sive *probaverit.*

mater ejus. Latina; si civis Romana fuisset, non opus habuisset filii causam probare. Vid. §. 30.

Atque haec vim ita habebit in personam patris Latini, ut in morte sua civis Romanus fuisse existimetur, filio hoc suo herede superstite. Add. III. 5.

Quod si uterque et mater et pater jam decesserint, tutoris, ut videtur, res agitur; nec crediderim ipsi filio in jure causae probationis praescriptum fuisse certum tempus.

§. 33. Adgreditur Gaius alium modum, quo Latini potuerunt pervenire ad civitatem, sive jus Quiritium consequi, ut h. l. dicitur. Est autem aedificatio ejusmodi aedificii, in quo exstruendo probare possit se patrimonii partem lege praescriptam inpendisse. Conf. Ulpian. Fr. III. 1. L. 139. D. de verb. sign.

Cavisse hac de re legem Juliam Pap. Poppeam, ut conjecit Cl. Göschen, veri non videtur dissimile, quamquam vox *Latini* non magis in lege P. P. quam in lege Aelia

Sentia potuit scribi. Heineccius in Comment. ad Leg. P. P. p. 139. refert ad fundum dotalem, pro quâ sententia facit L. 13. D. de fundo dotali.

Tractati videntur h. l. alii modi consequendi juris Quiritium; nimirum militia inter vigiles, navis aedificatio, ut fere habet Ulpianus Fr. III. 1. Add. Epit. l. 1. §. 4. §. 34.

Ceterum de privilegiis concessis iis, qui pistrinum exerceant, locus est illustris in Fragm. Vat. §. 233. ibique interpretes.

An ad hosce Latinos Junianos pertinuerit praemium civitatis, quod Latinis foederatis, qui reum criminis repetundarum damnassent, concessum erat lege Servilia (add. Cic. pro Balbo c. 24.), dubitaverim.

Si quis alicuius et in bonis et ex jure Quiritium sit. §. 35.
Hoc est pleno jure sive utroque jure. Conf. §. 17. 54. 167.

in bonis. Quid sit, dilucido exemplo illustrat Ulpianus Fr. I. 16. cui adde Gaium §. 54.

manumissus, ab eodem scilicet. Qui pleno jure dominus est, hic solus pro diversa, quam adhibuerit, manumissionis forma servum aut Latinum efficiet, aut civem Romanum.

vindictâ. Cives fiunt manumissi majores XXX annorum et minores etiam causâ apud consilium probata. Testamento manumissi majores semper cives, minores XXX annorum non nisi Latini fiunt. Quem porro XXX annorum majorem dominus manumiserit, inter amicos, per epistolam, in convivio, hunc, deficiente justa forma, Latinum tantum faciet. Epit. I. 1. §. 2. Ulpian. Fr. I. 10. Quid si dominus XX annorum major servum XXX annorum minorem hoc injusto modo manumittit? nihil efficit; servus in servitute permanet. Hic autem praeter varios modos supra laudatos etiam ipsius domini voluntate et novo beneficio poterit nancisci jus Quiritium. Vocatur hoc beneficium iteratio sive repetitio manumissionis, adhibita,

quae prius neglecta fuerat, solenni forma vindictae, conf. Plin. Epp. VII, 16.; aut danda in testamento libertate, add. Tacitum Annal. XIII. 26.

Mirum est, Gaium hoc vocabulo *iterationis*, quam describit Ulpianus Fr. III. 41. et Epit. I. 1. 4. et Disp. For. §. 14. non uti; significat autem rem h. l. et latet fortasse in lacuna.

Quibus artibus Latini nominis socii liberos suos mancipio dando Romanis efficerent ut manumitterentur libertinique cives essent, docet Livius XLI. 8. loco illustri.

Quid igitur si solenniter manumittit is, qui servum tantum in bonis habet? faciet Latinum, nam non potuit in manumissum deferre jus Quiritium, quo ipse caret. Quid, si mox acquisito nudo jure Quiritium vult iterare? non potest; nam manumittens nullum sibi in servum jus reservavit. Potuitne hic accedere iteratio alterius domini sive ejus, qui nudum retinet in istum Latinum jus Quiritium? Ita potest, atque huc spectat etiam Fr. Vat. §. 221.

Quid si servus manumittitur ab eo, cujus est ex nudo jure Quiritium, an erit efficax ista manumissio? Dubitare licet ob §. 54., nam non habet in potestate, nec potest corrumpere jus ejus, qui in bonis habet. Conf. Disp. For. §. 9.

Quid denique si ipse Latinus Junianus servum manumittit? Erit hic profecto conditionis ejusdem, ac manumissor.

§. 37. *in fraudem patroni.* Add. §. 139. et L. 9. §. 2. D. de liberali causa.

Jus igitur patroni non minus grave existimatur quam creditoris, quîcum in §. 139 confertur.

In fraudem creditorum. Add. §. 47. et Gaius in L. 10. D. qui a quib. man. et in L. 57. D. de manum. testam. Vetita autem manumissio non magis spectavit manumissionem in testamento, quam inter vivos.

Nihil agit. Idem est: *nihil facit*, cui opponitur *male*

agit in L. un. §. ult. D. quando dies usufr. Qui male sive perperam in foro agit, repellitur exceptione. *Nihil agit*, h. l. idem est atque in §. 47. *liberi non fiunt* et *libertas impeditur* ut est in L. 21. D. de manum. Usurpatur dictio de negotio, quod ab initio prorsus est inefficax; vid. etiam II. 30. 36. et Institt. I. 21. §. 2. *post tempus — auctoritas nihil agit.* Itaque non opus est rescissione. Laesit jus quaesitum creditorum; nam quod debebat manumissor, hoc, quamquam nondum solverat, jam erat aes alienum, creditorum usus erat aere, quod servo veluti inerat. Qui apud consilium falsam prae se fert causam, fraudem quidem facit, sed neminis jus perfectum laedit; quare non retractatur injustae causae adprobatio. Vid. §. 7. 1. h. l.

quam si vindicta apud consilium. Variae sunt interpretum conjecturae de lectione hujus loci. Recentissima est haec Huschkii in ed. laudata: *quam si vindicta, apud consilium justa causa manumissionis approbata, manumiserit.* At quaeso, quid est: non manumittere permittitur, quam si manumiserit? Quidquid conjiciatur, vocabulum *vindicta* non videtur esse recte. Nam quod hoc loco dicatur doceri de necessitate vindictae, causa approbata, hoc negat §. 41. Potest dominus justa causa probata servum liberare, vel inter amicos, et facere Latinum. Nec dicas, vindictam propterea hic diserte praecipi, quia sermo est de libertate et civitate, nam etsi hoc verum sit (quamquam de sola potestate manumittendi agit Gaius, non de manumissionis effectu, ut supra in §. 18.) non opus erat de vindicta diserte monere, quandoquidem praeter hanc nulla alia obsoleto censu superesset ratio donandi inter vivos juris Quiritium. Gaius consilium denuo laudans, quod supra copiosius descripserat, §. 20. facere non potuit, quin eo orationem referret adderetque: *ut diximus*, aut simile quid. Ulpianus Fr. I, 13. et Disp. For. §. 13. de vindicta non loquuntur. §. 38.

Patrem, vid. exemplum in Epitome I. 1. §. 7. I. 7. §. 39.

§. 39. *Sed et illae causae — adferri possunt. Adferri* idem est ac *porrigi* hoc est, proferri. Causae igitur significatae excitantur exempli causa, admittuntque etiam alias aequales per deductionem ex analogia. Rationes legis egregie ex morum conditione derivat Theophilus ad Instit. I. 6. §. 5.

et illae causae — ad hunc quoque casum. Et cum *quoque* interdum amplificandi causa a Gaio conjungitur, vid. 53. 44.

exposuimus. Non majorem vim habet, quam *rettulimus*, nam laudato loco §. 20. nullam ex allatis causam exposuit et illustravit.

§. 40. *evenit.* Est tempus praesens, quod describens h. l. Justinianus mutavit in tempus praeteritum.

certus modus manumittendi. Modus hic spectat jus manumittentis, qui semper indiget causae probatione; in §. 42. spectat numerum servorum manumittendorum.

legataque relinquere possit. Malim abesset *possit.*

si adhuc minor sit annorum XX. An lex propterea vicesimum aetatis annum constituit, quia juvenilis institutio et educatio hac fere aetate finiebatur? argumento L. 3. D. ubi pupillus educari.

libertatem. Tantum inter vivos *libertatem* dare potest adprobata justa causa et pro diversa manumissionis forma aut civem facere aut Latinum. In testamento suo neutrum potest.

Gaius non verbis sed re significat hanc legis inelegantiam. Profecit ex hac animadversione Justinianus; Gaii locum describens melius hoc ordinavit in ipsa §. 7. Inst. quibus manum. non licet.

§. 41. *Et quamvis Latinum facere velit — debet.* Primarium legis consilium fuit, ut justa probaretur causa, nec moribus adolescentis domini vis aliqua fieret. Si Latinum facere licuisset sine adprobatione causae, potuisset facillime fraus legi fieri; nam qui hodie Latinum facit,

quia non formam manumittendi adhibet solennem, hic postridie iteratione manumissionis et solenni vindictae forma eundem faciet civem Romanum. Vide elegans exemplum apud Plinium Epist. VII. 16.

et ita postea an legendum: *potest?*

inter amicos. Ad significandam aliquam non justam manumittendi formam, potissimum haec *inter amicos* exempli causa laudatur. Add. §. 44. et Ulpian. Fragm. I. 10. et Disp. For. §. 14. quae Graece vertit εἰς φίλους; Theophilus Latine reliquit tamquam vocabula solennia. Scholia Basil VI. 515. rectius μετὰ φίλων.

In lege Romana Burgund. Tit. XLIV. utraque forma: inter amicos et in convivio ita conjungitur, quasi una eademque sit. Vocem autem *amicos* non habere eam potestatem, quae est in L. 223. D. de verb. sign. sed significare *testes*, res ipsa loquitur.

servos habebit. Habere etiam dicitur de iis quos in bonis habet, et de fugitivis. Vid. Paul. R. S. IV. 14. §. 1. §. 43.

usque ad partem dimidiam. Dimidia igitur pars continetur parte licita.

novissime, hoc est, extremo omnium loco, denique.

nec plures quam D permittitur. Restitutio loci in ed. nov. etiam adjuvatur verbis Epitomes hisce (I. 2. 1.) *ut de quamlibet grandi familia, nulli amplius quam centum testamento manumittere liceat.* Add. Ulp. Fragm. I. 24. Paul. R. S. IV. tit. ult. §. 4. Ubi conf. Cujacius singulos casus diligentissime enucleans.

Centenarius itaque numerus extremus fuit, etsi essent, ut de hominibus quibusdam luxuriosissimis refert Athenaeus Deipnos. L. VI. c. 104. qui plus quam viginti mille servos haberent.

si quis unum servum omnino aut duos habet. Quoniam de tam exiguae familiae domino nullus potest justus esse

metus periculosae istius ambitionis, quam lex reprimere voluit, nihil cautum est.

liberam — potestatem, hoc est, nulla lege circumscriptam.

§. 44. *Ac nec ad eos — omnino haec lex pertinet.* Huschkius supplet *etiam*. Klenzius: *quidem*, idque rectius ob dictionis similitudinem in §. 139. Sensus igitur est: ut lex non pertinet ad dominos unius duorumve servorum, sic etiam prorsus non pertinet ad eos, *qui sine testamento manumittunt*, hoc est, inter vivos. Voce *testamento* continentur codicilli.

vindicta. Epitome. I. 2. §. 1. *ante consulem*, fortasse, ut evitaretur durius vocabulum *vindicta*.

aut censu. Epitome l. l. substituit: *in ecclesia.* Mirum autem accidit, Gaium hic usurpasse haec verba h. l., si sua aetate, aut omnis census, aut forma manumittendi ad censum comparata et propterea manumissio censu appellata prorsus nulla fuerit. Adde. §. 16.

inter amicos. Add. adnot. ad §. 41. videtur hoc exemplum nominatim esse usurpatum in ipsâ lege Junia ut significaret eos, qui inter amicos absente magistratu et solennibus omissis deinceps manumitterentur, habituros esse propriam libertatem nempe Latinam. Vid. etiam Lachmannus in Not. crit. ad Ulpiani Fragm. in Ephem. Berol. IX. 183. Ceterum recte hoc affert, quod censui et vindictae opponat, exemplum, nam et Latinus factus liberatur e potestate domini.

totam familiam suam. Poterat lator legis hoc facili negotio indulgere, non ignorans dominos non temere tam grave rei suae familiari detrimentum esse illaturos. In multos quadrant, quae Cicero in Orat. in Pisonem c. 20. *si familiam tuam dimisisses, — amici te constringendum putarent*, nempe ob tam immanem liberalitatem, quae non caderet in mentis sanae hominem. In paucissimis autem

hominibus spectata fuit humanitas, qualis erat in Plinio. Conf. Epp. VII. 37. VIII. 16.

liberare, hoc est, e postestate dimittere, etiam modo solenni non observato. In II. 229. *liberari* eximie de manumissis testamento. Add. III. 63.

scilicet si alia causa, qualis in lege Aelia Sentia praescribitur de aetatate minore viginti annis in manumittente et triginta in manumittendo, et de manumissione fraudulenta.

In Institutt. I. 7. *impedit* construitur cum dativo: *libertati*.

Diximus, ita intelligemus. Gaius interpretatione adjuvat verba legis. Adde §. 72. §. 45.

Ipsa lege provisum. Opponitur *ipsa lex* SCtis in §. 46. *Provisum*, hoc est, cautum est, providet lex; fortius est, quam *comprehensa* in §. 27.

erat enim sane absurdum. Videtur istud *absurdum* praesertim a scholarum praeceptoribus usurpatum fuisse in dissensionibus, quando conclusionis falsae diversam scholam arguere vellent. Vid. II. 244. III. 141. L. 13. de nox. act. L. 7. de bonis libert. Est igitur plus quam *inelegans*. Gaius in simili causa in L. 25. D. de manum. vind. habet *perabsurdum*.

manumittere ei conceditur. Concedi est, ubi lex aliquid indulget et remittit a rigore juris; *permitti* dicitur de hoc ipso, quod definit et praescribit lex. vid. supra p. 8.

manumittere quam quatuor. Hic igitur usque ad numerum XVIII servorum recte manumittit V. Qui XVIII servos habet, manumittit VI, et sic porro. Vid. Epitome I. 2. 2. unde lacuna suppletur, ubi etiam sermo fuisse videtur de confuse data libertate.

scriptis in orbem servis. In Epitome I. 2. 1. interpretandi causa figurata verba pro *in orbem* mutata *in circulo*; §. 46. nimirum, quando aliquid ita scriptum est, ut neque ini-

tiunt, neque exitus demonstrari queat, servorum singulorum nominibus ad circuli formam veluti scriptis, turbato ordine et serie unde intelligatur, ad quem usque manumittere liceat. Differt, ut Epitome satis significat, *confuse* data libertas, sive non manifeste, quando vetante lege (vid. II. 239. Ulp. I. 25.) nemo nominatim liberatur, sive nullius nomen aut ministerium memoratur. L. 24. D. de manum. test.

libertas data sit et quod mox §. 47. *manumissi sunt*, consistunt in solo facto, quod tamen infectum est in jure et ne minimam quidem vim habet. Displicet repetitio *quia* etc.

nulli liberi erunt — *rescindit*. In hac utraque igitur singulari causa, ubi in scriptura ipsa inexplicabili, aut in confuse data libertate, fraus apparet testatoris, lex est perfecta, nam inefficax est omnis haec manumissio. In aliis vero causis imperfecta dici potest, quia rescindit tantum manumissionem eorum, qui supra legis numerum in testamento ad libertatem vocantur.

Sunt etiam specialia senatusconsulta. Plura igitur facta videntur diserte caventia de reprimendo vario fraudum genere, in maxima morum depravatione ab avaris testatoribus in detrimentum civitatis excogitato. Add. Epitomen l. l. An in hisce senatuseonsultis fuit Orphitianum illud, quod laudat Paulus R. S. IV. 14. et diversum esse videtur ab eo, quod est in Institt. III. 4.?

specialia. Hoc uno tantum loco a Gaio usurpatur vocabulum hocce.

excogitata. Usurpatur malo sensu de callidis et cum fraude conjunctis inventis, quibus non directe committitur contra legem, sed servatis ejus verbis mens et ratio evertitur; veluti cum rescinderet lex manumissionem fraudulentam in testamento, excogitatum est codicillis eludere legem; in lege enim prohibitoria verba non ferre interpretationem, nec

testamento contineri codicillos, quorum et forma et vis admodum diversa esset. Haec autem fraus et offensa legis repressa est senatusconsultis.

Hoc etiam ad peregrinos pertinere, senatus — censuit. §. 47.
Conf. §. 37.

Intelliguntur peregrini in civitate Romana ex iis populis, apud quos etiam in usu fuit manumissio in testamento, veluti Athenienses. Hi igitur jure gentium testamentum facientes impune fraudem eam poterant committere, cui in civium Romanorum testamentis lex Aelia Sentia occurrerat. Interpretatione legis per senatusconsultum peregrinorum jus circumscriptum est et civium creditorum commodis consultum.

Quaesitum fuisse videtur, qualis futurus sit conditionis manumissus peregrini servus. In Disp. For. §. 12. laudatur sententia Octaveni JCti, cum probet legem Juniam, quae genus Latinorum introduxit, non pertinere ad peregrinos manumissores. Adde locum Plinii Epp. X. 4.

Praetor tamen et hunc manumissum humanissime in libertate tuebitur, nisi peregrinus, natione Graecus v. c., qualis in Disput. significari videtur, provocet ad legem suae civitatis, quae repetitionem in servitutem ob causas jure Romano non cognitas permiserit aut manumissionem inefficacem fuisse probaverit.

ex auctoritate Hadriani. An excidit: *Divi?*

cetera vero jura ejus legis. Jura legis sunt partes alicujus legis, jussa et praescripta ejus peculiaria continentes; sic *jus legis* in L. 44. D. de adopt. Add. Gaius II. 63. ubi sermo de *jure legis Juliae*. Add. §. 87. Quae praecipit lex Aelia Sentia de aetate manumittentis et manumissi, de Latinis, et de dediticiorum numero constitutis, usu non veniunt in manumisso peregrino. Ceterum verba haec *jura legis* dubitare faciunt, utrum locus pertineat ad peregrinos creditores, an ad peregrinos debitores,

§. 48. *Sequitur de jure personarum alia divisio.* Haec est secunda, vid. §. 9. tertia et postrema est in §. 142. et deinceps.

§. 49. *aliae in potestate.* Reprehendit Gaium Donellus Comment. Jur Civ. II. 20. 2., quod hanc vocem usurpavit de servis aeque ac de filiisfamilias, nam servum esse in dominio; at vid. II. 244. 245. L. I. §. 5. et 6. D. de pecul. et L. 215. D. de verb. sign.

§. 50. *Si cognoverimus simul intellegemus.* Simillima enunciatio in §. 142.

Diligenti illustratione et descriptione alterius partis hujus loci, nempe personarum eorum, qui sunt alieni juris, sive in jure et potestate alterius, lux affunditur alteri parti sive in clara luce ponitur status ac conditio personarum eorum, qui sunt sui juris, id est, qui non in aliûs sed in sua ipsi sunt potestate, quamquam aliquando aetatis aut animi causâ uti ea non possunt, veluti pupilli, et furiosi.

§. 52. *servi dominorum.* An potest servus cogitari sine domino? Sane potest. Manumissus v. c. inter amicos ante legem Juniam liberatus potestate, tamen revera servus erat; qualis etiam is est, quem dominus pro derelicto habuit. L. 38. §. 1. D. de nox. act. L. 36. D. de stip. serv.

apud omnes peraeque gentes. *Peraeque*, hoc est: aequali ratione ac modo; saepe usurpat hoc vocabulum Gaius, ubi de de jure gentium et civili agit. Locos adnotat Brissonius.

omnes gentes. Add. Epit. I. 3. 1. Jure vero Attico, ut videtur, non nisi causa cognita. Docte locum istum exponit Heraldus, Obs. IV. 4.

Animadvertere possumus, hoc est, videre licet.

vitae necisque. Exempla vide apud Appianum de bello civ. I. 98. Plut in Vit, Coriol. c. 24. Macrob. Saturn. I. 11.

potestatem esse. In Institt. I. 9. legitur minus recte: *fuisse.*

et quodcunque per servum adquiritur, id domino adquiritur. Quamvis rectior sit lectio *adquiritur*, quam *adquiri*, de qua conf. Cl. Savigny de jure possess. §. 62., miramur tamen constructionem huius loci etiam conspicuam in subita trasitione e numero plurali in singularem. Quodsi Gaius scribere voluerit id, quod illum significasse putamus, nimirum, potestatem vitae et necis juris gentium, acquisitionem per servum esse juris Romani, an non locus ad hunc fere modum erit constituendus: *sed quodcunque per servum adquiritur, id domino adquiri juris civilis est?* Jus autem civile et jus gentium sic saepius opponitur veluti III. 93. et in L. 17. §. 1. D. de poen. Nisi malis verba: *quae quidem — potestatem esse* parenthesi comprehensa accipere et *potestatem* referre ad personam, si dicere licet, servi; *acquirere* ad operas et bona ejus. Adde II. 86—89.

neque civibus — nec ullis. Gaius secus ac Cicero *nec* §. 53. semper ponit ante vocalem. Distinguit cives et alios homines sub imperio P. R., quod discrimen sustulit constitutio Caracallae. In provinciis igitur, haud secus atque in urbe, hoc crimen saevitiae punitum fuit.

hoc tempore. Significat Gaius recentissimam constitutionem Antonini. Ordinatores Institutt. verba Gaii *hoc tempore* inepte repetiverunt, nam a constitutione Antonini usque ad Justinianum plus quam trecenti anni praeterlapsi erant.

Sacratissimi. Argumento est haec vox, Gaium haec scripsisse regnante adhuc Antonino Pio, qui humanissimi hujusce rescripti auctor fuit. Librum autem IIdum certe partem eius scriptum esse Antonino Philosopho jam regnante, argumento est locus in II. 126.

In L. 9. D. ad Sctum Tertull. Marcum Antoninum Philosophum sacratissimum principem nostrum vocat, unde sequitur scriptum esse ejus Commentarium ad senatuscon-

sultum Orphitianum Antonino Pio jam mortuo, quod item dicendum videtur de ejus commentario ad edictum Provinciale. Vid. L. 11. pr. D. de jurisdict. In L. II. 26. etiam significat Marcum Antoninum.

sine causa. Cognoscere, quae causa justa sit, Praetoris fuit quaestoris ex lege Cornelia de sicariis, vel, ut tum erat conditio judiciorum publicorum, Praefecti urbi.

teneri jubetur. In Institt. *puniri;* sed rectius *teneri* quod eximie significat: lege et poena teneri.

Alienum servum. Continetur etiam usufructuarius. L. I. §. 2. D. ad leg. Cornel. de sicar.

sed et major quoque asperitas. Major hic est, quae superat modum, supra quem qui saevierit, is tenetur. Qualis intelligenda sit asperitas, significat copiose Ulpianus L. 1. §. 8. D. de Offic. Praef. urbi.

ejusdem principis constitutionem, hoc est, rescriptum, cujus nunc sequitur argumentum. Haec igitur constitutio de asperitate temperanda diversa fuit a superiore de occisore servi sui.

ad fana Deorum, vel ad statuas Principum. An hoc rescriptum (nam Athenis praesertim servis hoc moris fuisse videtur, ut docet una cum Tacito Annal. III. 60. Plutarchus Opp. VI. P. 2. p. 1010. ibique Wyttenbachius) datum fuit ad magistratum in Graecia aliquem? Romae jam antea cura hujus rei mandata Praefecto urbi. L. I. §. 8. D. de Praef. Urbi.

Confugiunt, hoc est, *confugere solent* tanquam ad asylum, (nam extrahi nefas fuit,) ut remitterentur ad magistratum, qui cognosceret. Hinc in lege mancipii: *ad statuam numquam confugisse.* Vid. L. 19. §. 1. D. de aed. ed.

Praecepit. Habet vim juris; significat igitur: mandatum aut rescriptum dedit, per quod constituit et sanxit. In III. 192. usurpatur de ipsa lege XII Tabb. Laudanda hoc loco diligentia ordinatorum Institutionum, qui ipsa

rescripti verba a Gaio praetermissa, ex Ulpiani loco in L. 2. D. de his qui sui vel al. descripserunt, ut omnis hic elegans locus magis illustraretur.

Si intolerabilis — videatur. Hoc est, si causâ cognitâ apparet. Recte Theophilus: εἰ φανῇ.

Intolerabilis saevitia. Videtur significari injuria non ferenda propter violatam pudicitiam. Theophilus recte vertit; ὕβριν, quod vocabulum in lege Solonis apud Aeschinem in Timarchum p. 30. eximie adhibetur de vi illata pudicitiae.

Cogantur servos suos vendere. Utitur Gaius tempore praesenti, quia sunt ipsa verba rescripti tum recens dati. An hic exciderunt librariorum negligentia verba *bonis conditionibus*, quae in Institt. adjecta sunt? non videtur; etiam in Digest. ll. et in collat. leg. Mos. III. 3. non leguntur. Accessisse videntur textui ut interpretatio quaedam legis, ad crudelium dominorum fraudem avertendam, qui inviti rescripto obedientes servos durissimis venderent conditionibus; ceterum conf. Plutarchus. l. l. et Hemsterhusius ad Lucianum I. 277. Mox in foro agitata fuisse videtur quaestio de hujusmodi servo, an fugitivus haberi posset. Humaniter respondit negando Ulpianus in L. 17 §. 12. D. de aedil. edicto.

Utrumque recte fit. Sentiebat prudens Jureconsultus, posse hic occurri a quibusdam, qui dicerent: injustum esse rescriptum Antonini, quo dominus vel invitus cogeretur vendere servum suum. Solvit igitur hanc difficultatem, defendens justitiam et aequitatem rescripti, quod utrique et domino et servo opitulatur, gravissimo usus argumento ex lege XII de prodigis. Aliud autem exemplum invitae et coactae venditionis servi ob domini asperitatem exstat in L. 1. §. 27. D. de Quaest.

Interdicitur administratio. Sic etiam Ulpianus in L. 1. D. de curat. fur. Ubi non addunt JCti vocabulum: *ad-*

ministratio, usurpant ablativum casum *bonis*, ut Gaius in L. 27. pr. D. de min. Ulpian. Fr. XX, 13. et Praetor ipse in formula, quam exhibet Paulus R. S. III. 4. §. 7.

§. 54. *apud cives Romanos — dominium vel in bonis, vel ex jure Quiritium.* Vox *dominium* usurpatur etiam de eo, qui tantum in bonis habet. An discrimen in foro obtinuit ex omissione rituum et formarum in rerum mancipi traditione religiose observandarum et ope certi temporis et usus ab hoc vitio omissionis purgandarum? Vide elegans exemplum infra II. 41. Noli autem confundere eum, qui in bonis habet, et bona fide possessorem, et bonorum possessorem creditorem, de quo III. 80.

nudum jus Quiritium. Conf. §. 39 et 167. Itaque nudum jus Quiritium, ut vel ipsa vox *nudum* satis arguit, si effectum ejus spectamus, magis in juris subtilitate positum fuit, quam in commodis domini jure Quiritium bene tuendis. Pertinent huc Fragm. vet. Icti. §. 16. et Ulpian. Fragm. I. 16. Nihil ei adquirit servus. Vid. II. 88. III. 166. et Ulp. XIX. 20.

Eadem juris subtilitas in provinciali solo cernitur. Est quidem aut populi Rom. aut Caesaris, cujus, ut ait Gaius, (II: 7) possessionem tantum et usumfructum habere videmur. *Videmur* autem de industria addit, ut significet differentiam revera non esse, existere tantum videri.

potestatem habere non intelligitur. Vox *potestas* sejungitur ab omni notione juris Quiritium, quamquam is qui in bonis habet, potestatem non habet vindicandi servum (IV. 16.,) aut donandi eum justa libertate. §. 17. §. 35. h. l.

§. 55. *quod jus* est Idem: ac *quae potestas.* In Institutionibus est I. 9. *jus potestatis.*

fere Add. §. 189. ubi *videantur.* In Institt. adverbium deëst. Latini nominis socii apud Livium loco laud. supra p. 38. liberos suos mancipio dant civibus Romanis ea con-

ditione, ut manumittantur. Unde conficere licet, viguisse etiam apud Latinos et jus vendendi et jus noxae dandi. conf. etiam aliud juris ipsorum civilis placitum apud Gell. N. U. IV. 4.

proprium, non origine, sed vi et forma, eaque praesertim spectabatur in judicio domestico. Conf. Livius Hist. II. 5. Epit. LIV., qui idem patriae potestati tribuit majestatem; VIII: 7. Add. Valerius Maximus, Memor. VII. 7. 5.

qualem nos habemus. Ubi Gaius excitat ea juris publici instituta, quae ad universam civitatem pertinent, utitur voce: *populus Romanus*; in privatis vero negotiis, quorum usus ad privatos quosvis cives pertinet, utitur primâ personâ, quam Justinianus quippe Imperator in titulo Institt. De patria potestate inepte repetit. add. §. 59. *eam quae nobis adoptione — neptis loco.*

nos. Opponitur: *alii homines*;

Filios. In Institt. *liberos*; Gaius autem *filios* scripsit, quippe in quibus magis cernitur vis potestatis. Mulieres autem apud omnes gentes quodammodo in potestate et tutela sunt.

Justis nuptiis procreavimus. In Institt. additur *ex.* An hic est ablativus absolutus, quem negat Cujacius Jctos usurpasse?

Hadrianus edicto, quod proposuit, significavit. Frequentes ad eum factae fuisse videntur preces de danda civitate et patria in liberos potestate et magnus fuisse numerus petentium, quandoquidem edicto de his constituit. Quodnam autem huius edicti fuerit argumentum, non satis apparet; conjicere licet, Hadrianum, tum alia de modo et jure civitatis petendae praecepisse vid. §. 95. tum etiam hac opportunitate monuisse (vid. §. 94.): oportere petentes civitatem et potestatem in liberos bene meminisse, adquiri hoc jure patriae potestatis talem in liberos potestatem, qualem nullus alius populus habeat.

Nec me praeterit. Est dicendi formula Ciceroniana. Adde

4*

§. 73. III. 76. IV. 24. Dirksenus ex nullo alio JCto hanc dictionem excitat. Gaius autem ea non alias utitur, quam significare volens, id quod se non praeterierit, minus recte esse; quare crediderim, Gaium impugnasse sententiam Galatarum, qui potestatem suam in liberos ita interpretarentur, ac si a civium Romanorum jure proprio parum aut nihil distaret.

Habet autem verbum *credere* quod displiceat; nam non potuit de tam gravi re dubitari in ipsa civitate Galatarum. *Credere* autem est ejus, qui sibi persuaserit, qui putaverit, censuerit etsi falsâ opinione ductus vid. adn. ad §. 71. non ejus, qui sciverit certum factum. Sic in L. 9. §. 1. D. de reb. dub. divus Hadrianus *credidit* id est censuit et constituit. Si veterum Gallorum, unde originem ducebant, instituta secum transtulerunt in novam in Asia sedem, viguit apud eos, haud secus atque apud Romanos, jus vitae et necis in liberos, vid. Jul. Caesar in Bello Gallico VI. 19, nam locus Pauli Apostoli in Ep. ad Galatas C. 4. vs. 1. 2. spectat tutelam testamentariam non patriam potestatem; video etiam Westenbergium in oratione de jurisprudentiâ Pauli locum accipere de tutelâ. p. 54. jus autem tutoris dandi impuberi filio in testamento multum distat a patria potestate, ut ostendit jus Atticum, ubi idem obtinebat jus, quamquam pater carebat jure vitae et necis et in filii pubertate omnem potestatem amittebat, conf. Aeschines in Timarch. p. 44. Plutarch. in Vit. Solon. p. 91. A.

§. 56. *Uxores — Latinas peregrinasve.* Intelligendae sunt tum libertinae, quae manumissione obtinuerunt jus Latinitatis Junianae, tum mulieres natione Latinae, tum Latinae coloniariae, quae §. 79. peregrinorum nomine veniunt. Jus autem connubii minime venit ex Latinitate; diserte concessum sit, necesse est. Ulpian. Fragm. V. 4.

cum quibus connubium habeant. Hoc est, quibuscum populus Romanus societatem ita inivit, ut mulier pere-

grina civi Romano nupta ipsa Romana evaderet, adde etiam Liv. Hist. XXXVIII, 36. XLIII. 3. et de tempore Caesarum Ulpianus Fr. II. Concedebatur autem praesertim in gratiam militum veteranorum. Notum est in foederibus Graecorum ἐπιγαμίαν διδόναι, quum paciscentes populi invicem sibi tribuunt jus connubii, vid. Demosth. orat. pro Corona p. 291.

connubium id efficit. Connubium est uxoris jure ducendae facultas, Ulp. V. 4.

Est jus reciprocum, concessum tum civibus Romanis nuptias justas civiles contrahendi cum mulieribus ex populis foederatis, tum civibus ex iisdem populis ducendi uxores Romanas easque liberosque justos recipiendi in jus suae civitatis. Add. §. 77. an mulier et civis Romana istiusmodi justo matrimonio omnia amitteret pristina jura, non satis nobis liquet.

set et in potestate patris sint. Sic jam in superiore adnot. ed. conjeceramus: *Sint* h. l. significat motum in locum et constitutionem alicujus rei. Malim igitur hic legere *potestatem* ut etiam in §. sup. et in §. 88. et 94. Immo in Fragm. Vat. §. 75. legitur *esse in diversam opinionem.*

Veteranis quibusdam. Non sunt certi quidam, sed genera cohortum honeste missarum uno tempore stipendiis emeritis. §. 57.

Concedi solet connubium. Non opus hic erat pactione aliqua cum populo, unde peregrini essent oriundi, sed ipsis veteranis civibus Romanis hoc Caesarum benevolentia privilegium indulgebatur, ut quas uxores duxerint, has eodem jure duxerint, ac si jam connubium iis fuisset.

quas primas post manumissionem. Ne beneficium connubii concessi latius pateret, plerumque cautum fuisse videtur, tum ut hocce cum peregrinis Latinisve matrimonium non prius iniretur, quam post honestam a militia missionem, tum ut hasce nuptias primas contraherent, ne

beneficium pertineret ad liberos antea natos ex alia muliere. Reperiuntur tamen in recens inventis honestae missionis tabulis (in Museo Rhen. IV. 3. p. 383.) exempla, ubi veteranis peregrinis civitas datur et ipsis liberis posterisque eorum et connubium cum uxoribus quas tunc habuissent, cum esset civitas iis data, aut si qui coelibes essent, cum iis, quas postea duxissent, duntaxat singuli singulas.

Ex eo matrimonio nascuntur. Matrimonium hic opponitur justis nuptiis.

in potestatem parentum fiunt. Recte *in* hic construitur cum casu accusativo; nam *fiunt* habet motum in locum. Quare etiam in §. 65. §. 107. et §. 147. restituendus videtur accusativus. Potuisset usurpare hunc locum Cl. Klenze in doctissima adnotatione de hac praepositionis *in* postestate, ad Fragm. Leg. Serviliae, p. 23. not. 8. ubi vero Gaius in IV. §. 153. habet: *esse in possessionem*, malim legere *in possessione* tum ob ea quae sequuntur: *nostro nomine sit in possessione*, tum quia colonus et inquilinus, qui recte vocantur, jam sunt in possessione. Neque adversatur L. 121. D. de leg. 1. et L. 1. pr. D. ne vis fiat, ubi inest ipsa vis motus in locum, et *esse* fere significat ire, mitti.

§. 58. *Abstinere debemus.* Efficacius, quam quod in Institt. est: *abstinendum est.*

Abstinere neutraliter positum, quo eodem sensu etiam est in Collat. legg. Mosaic. in fragm. Ed. Dioclet. tit. 6. et in L. 14. §. 3. D. de R. N. significat h. l. religioni ducere et abhorrere a tam nefariis coïtionibus non propter cognationem, nam in adoptione eadem est vis vetiti, sed propter violatum sanctum nomen parentum et liberorum. Add. §. 63. De aliis conjunctionibus dicitur *prohibere* et *non licere.*

§. 59. *Nec inter eas connubium est.* Singularis est h. l. vis vocis *connubium.* Significare vult Gaius omnem notio-

nem licitae conjunctionis hic adeo remotam esse, ut nec de nuptiis nec de matrimonio jure gentium cogitari liceat. In Institutionibus omittitur, quia jus connubii tum non amplius, ut aetate Gaii, sejungebatur a jure civitatis, nuptiaeque contrahebantur cum omnibus, qui in imperio Romano essent.

tales personae coïerint. *Coïre*, et *coïtus* in §. 64 et 48. malo sensu; apud Ulpianum Fr. XVII. 1. et Paulum L. 24. D. de don. int. vir. et uxor. bono sensu.

parentum liberorumve locum inter se obtinent. *Locum obtinere* dicitur de ipsis naturalibus parentibus et liberis. Mox *parentum liberorumve loco sibi esse* dicitur de adoptatis. In Institt. I. 10. §. 2. additur *de amitis* et *materteris*, quae parentum loco *habentur*, quare etiam dissoluta adoptione non licere videtur adoptivi patris sororem sive amitam ducere.

per adoptionem. Mox *adoptione.* Eodem redit. h. l.

etiam dissoluta adoptione idem juris maneat. Praecipit hoc et jubet sensus honesti, et ut recte Theophilus Instit. tit. de adopt. §. 2 *pudefaciat quondam adoptivum patris et avi appellatio.* Add. L. 14. §. 2. D. de ritu nupt. Nec tamen negandum in L. 13. D. de adopt. universe contrarium doceri. Recte autem Cujacius in not. ad eam legem urget vocabulum *fere*, et hoc ipsum vetitum testimonii loco adfert.

Ex transverso gradu vid. et. Ulpian. Fragm. V. 6. §. 60.
non tanta, i. e., non tam late patens.

Eodem — eademque — sive alterutro. Hoc est, sive consan- §. 61.
gunei sunt, sive uterini. Videtur Gaius significare voluisse differentiam juris Romani et Attici; nam Athenis sororem consanguineam ducere licuit. Suffecerit laudasse Cimonis et Elpinices nuptias, vid. Nepos in Vita Cimonis, cap. 2. et Wesselingius ad Petiti Legg. Atticas. p. 538.

si ego emancipatus fuero. In Institt. additur exemplum, quod h. l. omittur, petitum ex alio Gaii loco, qui

est in L. 17. §. 1. D. de R. N.

Claudius Caesar Neronem adoptare volens generi loco, filiam suam antea alii in adoptionem dedit. Vid. Dio Cassius Hist. LX, 33.

Ratio vetitarum nuptiarum inter adoptivos non magis quaerenda est in honestatis sensu et necessitudinis gravitate, quam in ipso jure agnationis.

§. 62. *fratris filiam uxorem ducere licet — in usum venit cum Claudius — fratris filiam uxorem duxisset.* Add. Ulp. Fr. V: 6. Sueton. in Vit. Claud. c. 26. Tacit. Annal. XII, 5. 7. Locus in Epitome Gaii I, 4. 3. misere est interpolatus. Fuere igitur hac nuptiae summo jure invitis moribus civitatis licitae, donec Diocletianus jus vetus ante SCtum restituens istas denuo sustulerit, vid. L. 17. C. de nuptiis, cui adde L. ult. Cod. de incestis, ubi haec conjunctio Athenis honestissima et saepius necessaria habita *scelestissimum* vocatur *contubernium;* constitutiones vero, quae istud *turpissimum consortium* permiserant, notantur ut impiae. Ceterum senatusconsultum Claudianum non pertinuisse ad provincias, et L. 55. §. 1. D. de R. N. de jure in provinciis intelligendum esse, acute animadvertit Noodtius laud. a Cl. Voorda, Thes. Controv. Dec. III, 7.

sororis — filiam uxorem ducere non licet. Ut fratris naturalis sic etiam adoptivi filiam duci potuisse, non licet dubitare; sed videntur fuisse, qui senatusconsultum interpretando proferrent ad sororum filias. Vetitum igitur senatusconsulto, ut intelligeretur illud invitis moribus esse factum, strictae fuit interpretationis, atque huc pertinet, ut nobis videtur, Nervae constitutio apud Dion. Cassium LXVIII, 2. In jure Attico etiam hoc genus nuptiarum frequentatum fuit. Exempla sunt apud Demosthenem, in Orat. in Spudiam p. 1028 et apud alios auctores.

amitam et materteram uxorem ducere non licet. Et hoc loco disjunctive est accipiendum. Haec est cognata, illa

etiam agnata; nec licet, etsi adoptione tantum nobis conjunctae sunt, vid. L. 17. D. de rit. nupt.; vetat honesti sensus. An soluto vinculo adoptionis liceat, dubitamus ratione habita amitae, vid. §. 59.

Item eam, quae — nurus aut privigna aut noverca fuit. Apud Athenienses vero tam exigua erat vis affinitatis in nuptiis, ut Callias apud Andocidem in Oratt. p. 67. non dubitaret repudiata uxore, matrem ejus, nurum suam, ducere uxorem; nec dicas, apud Ciceronem in Orat. pro Cluentio c. 5. Sassiam genero suo rite nupsisse videri, Cicero docet, unicum hoc fuisse incredibilis et inauditi sceleris exemplum, nec necesse fuit, ut istiusmodi matrimonia lege vetarentur, quippe satis improbata moribus et jure pontificio, quicum omnis nuptiarum ritus valde conjunctus fuit. An lege Papia Poppea cautum fuerit de nuptiis propter affinitatem vetitis, ut ex l. 14. §. ult. D. de rit. nupt. conjicit Heineccius, dubitamus. §. 63.

neque eadem duobus nupta esse potest. Nubere h. l. et §. 69. etiam dicitur de matrimonio jure gentium. Civis Romana, etsi proprie tantum civi nubit, tamen non sine poena bigamiae duos maritos peregrinos aut Latinos habebit.

nec ob id in potestate. Nonne Latinitas postulat: *et ob id in potestate ejus non sunt?* §. 64.

quales sunt ii quos mater vulgo concepit. Comparantur igitur liberi ex istiusmodi nefariis nuptiis procreati cum spuriis, quamvis revera non sint spurii; constat enim palam de patre, et aut incesti sunt, aut adulterini, aut injusti, sed eadem est omnium conditio quod attinet ad patriam potestatem.

nam et patrem habere non intelliguntur. Displicet comparatio haec, quia de vulgo conceptis nulla prorsus potest esse dubitatio quin jure civili patrem non habeant, qui idem vix naturaliter demonstrari queat.

incertus. Ob causas a Theophilo vere magis quam decenter additas, opponiturque matri, quia semper *certa* est, ut ait Paulus in L. 5. D. de in jus voc.

spurii a Graeca voce. Vid. etiam L. 23. D. de stat. hom. An a *σπόρος satus*, ut opponantur natis ex matre, quam pater duxit *ἐπὶ γνησίων παίδων ἀρότῳ*, ut est in formula, vid. §. 29.? An in professione natalium spurii, qualem profitebatur mater in L. 29. D. de probat. apponebantur siglae S. P. pro *sine patre*, atque hinc repetenda vocis origo? Docta est de hac voce adnotatio Creuzeri in Libro, *Antiquitates* §. 73. conf. L. 14. §. 2. D. de R. N.

§. 65. Adhibuere haec Gaii verba in suos usus ordinatores Institutionum ad finem tituli de Nuptiis, ubi apposuere locum de liberorum naturalium legitimatione, cui quaedam intercedit necessitudo cum causae probatione efficiente utraque patriam potestatem, quod jam acute viderat Cujacius Obs. XV, 13. quem hoc nomine valde laudat Cl. B. Hollweg in disp: *de causae probatione* p. 52.

§. 66. *civem Romanum ex cive Romana.* Nam filius in matrimonio contracto ex lege Aelia Sentia matris sequitur conditionem, idque significatur senatusconsulto Hadriano auctore juris gentium regulam restituente §. 30. 76. 80.

non habebit — in potestate. Nempe quali utuntur soli cives Romani. §. 55.

simul ergo eum in potestate habere incipit. Latinus hic causa postea probata simul cum ipsa civitate adquisita etiam adquirit jus patriae potestatis in filium, qui cum sui juris esset natus, nunc alieni juris fit §. 29.; quare licet denuo quaerere, quae fuerit interea conditio hujuscemodi filii civis Romani? debuitne mater ei petere tutorem? an tutorem habuit legitimum patris manumissorem? fuitne spurius quamquam natus e matrimonio non quidem legitimo, sed jure gentium tamen justo? Locus autem hicce, ubi nihil dicitur quod non sponte sua jam se-

quitur ex §. 29., vix satis aptus est sequentibus, ubi unice sermo est de causae erroris probatione, nisi Gaius certo ordine significare voluisset diversas causas, quibus patria potestas facto aliquo posteriore adquiritur.

per ignorantiam. In §. 68 *per errorem* vid. et. Ulp. Fr. VII. 4. qui locus hinc adjuvandus est. Nihil differt, eadem est h. l. utriusque enunciationis potestas quamquam proprie hoc differt, quod *ignorantia* est inscientia: *error*, falsa opinio ex ignorantia contracta; sive quid esse putes, quod non est: sive non esse quod est, ut subtiliter et vere docet Donellus Comm. Jur. civ. l. 19. 5. §. 67.

cum eam civem Romanam esse crederet. Perspicuitatis causa pro *quam civem*, ut est in §. 69. *peregrino, quam.* Ex allato exemplo apparet, aut non publicas fuisse tabulas natalicias, aut negligentius redactas.

ne quidem civis Romanus est. Conf. §. 87. 128. Ulpian. Fr. X, 3.

si inter patrem et matrem. Patrem intellige civem Romanum.

ad patris conditionem accedit. In §. 80. *accedere* cum dativo; in §. 56. *patris conditionem sequantur.*

ex senatusconsulto permittitur causam erroris probare. An excidit *ei* post *permittitur?* vid. §. 68. Quaeritur, ex quo senatusconsulto? nempe ex eo, quod legem Aeliam Sentiam amplificavit et erroris causae probationem permisit, et a Scto in §. 31 Pegaso et Pugione consulibus non diversum fuit. Conf. laud. §. 31.

ex eo tempore incepit filius in potestate esse. Hoc est, quando is, apud quem causa probata est, id ita esse pronuntiaverit, ut est in §. 29. Filius igitur hicce quasi agnascitur patri suo rumpitque ejus, quod fecerit, testamentum. Vid. II, 142. Apud Ulpian. Fr VII, 4. *ex eo*, supple *tempore.*

idem juris est, si eam per ignorantiam uxorem duxerit,

dedititiorum numero. Supple ex superiore loco: *cum eam civem Romanam esse crederet.* Nam si hanc, aut peregrinam, tamquam Latinam duxit, non erit locus erroris causae probationi.

nisi quod uxor non fit civis Romana. In singulari hac causa pater in potestate habet filium ex uxore natum, quae nunquam civitatis Romanae particeps fieri potest.

§. 68. *Item si civis Romana — idem juris est.* Non varietatis causa et promiscue Gaius *item* et *idem juris* usurpat: *item* significat identidem novam legis particulam; quare a §. 70. non inchoare debet, ut nobis videtur, nova paragraphus.

permittitur ei. Hoc est, civi Romanae.

et ita filius quoque. Nam natus e matrimonio jure gentium justo patris sequebatur conditionem, donec causa esset probata. Nonne natus est civis?

si peregrino tamquam Latino — nupta sit, nempe per errorem. Nuptiae autem civium Romanarum cum Latinis videntur satis frequentes fuisse.

Quid autem juris erit, si Latino tamquam civi Romano nupserit? silet Gaius. An excidere verba: *aut Latino* ante: *peregrino*, ut existimabat Cl. Klenze? nimirum hic non opus fuit causae erroris probatione; quia istiusmodi matrimonio ex lege Aelia Sentia contracto succurrebatur alio modo vid. §. 29.

de hoc. An intelligitur: casu?

specialiter senatusconsulto cavetur. Hoc est, expressis et disertis verbis hunc providet casum, nimirum, de erroris causae probatione nato anniculo ex patre peregrino Latinove, quem mater civis crediderat esse civem.

aliquatenus. Hoc additur, quia maritus hicce numquam, ut in superiore exemplo peregrinus aut Latinus, evadere potest civis.

quod scilicet. Ingrata enunciatio; *scilicet* superfluum est. Vid. 67. in fine. adde ll. 87.

in sua conditione. *Conditio* significat h. l. *statum*; itaque non fit civis Romanus; conf. §. 67. in fin.

et ideo filius, quamvis fiat civis. At natus est statim civis a matre Romana, quare quaerere licet, quid hic opus fuerit causae erroris probatione cum neminis conditio melior fiat? An ea fuit probationis efficacitas, ut filius veluti legitimatus in jura familiae veniret?

si Latino peregrino, quem Latinum esse crederet — potest — filio nato, causam erroris probare. In hujusmodi causa profecto diligenti opus erat cognitione et gravibus argumentis, quare crediderit; ne fraus fieret legi et peregrini dolose irreperent in jus civitatis. *Credere* autem in omni hoc loco significat falsa opinione et errore inductam fidem habere. *Latinus, Latina*, semper sunt h. l. Latini Juniani. *Error* est error facti. §. 69.

filio nato. In superiore loco in §. 68. pr. *et ita filius quoque* et in fine ejusdem loci: *et ideo filius*, de quibus natis ex isto coïtu nullus fuerat sermo. In omni autem causae et erroris causae probatione haec est conditio plane necessaria, ut natus sit filius filiave. Cernitur ubivis summus favor honestorum matrimoniorum civitatis praemio excitandorum, et studium amplificandi civium numeri, ut vexatae bellis civilibus reipublicae succurratur.

si civis Romanus, qui se credidisset Latinum. In hoc errore versari potuit servus triginta annis minor, manumissus testamento domini obaerati, nescius legem Aeliam Sentiam in honorem defuncto debitum et in gratiam onerum ab herede necessario suscipiendorum sibi tribuisse jus civitatis. §. 71.

tamquam si ex lege Aelia uxorem duxisset. At cum credebat se esse Latinum, profecto duxerat ex lege Aelia Sentia. Itaque non video, quî hic opus fuerit fictione benevola legis, ac si duxisset ex lege Aelia Sentia. Ingratum est illud *tamquam si*, saepe tamen usurpat Gaius.

Qui — cives Romani — peregrinos se esse credidissent. Veluti natus e patre cive Romano et matre peregrina est peregrinus, donec causa probetur, illum latuisse patrem suum.

ex senatusconsulto. Vid. §. 67. §. 31.

§. 72. *Quaecunque de filio — et de filia intelligemus.* Interpretatione adjuvat JCtus legitimum verbum *filius.* Conf. §. 45. add. §. 74. in fin. Conf. L. 1. et L. 195. D. de verb. sign. et L. 62. D. de leg. 3.

§. 73. *quantum ad erroris causam — nihil interest cujus aetatis filius sive filia sit.*

SCtum igitur hic secus ac lex Aelia Sentia, quae tantum cavit de causae probatione, non exigit, ut infans jam attigerit aetatem unius anni.

Nec me praeterit. Conf. p. 51; verba haec argumento esse videntur, Gaium impugnasse opinionem eorum, qui rescriptum quoddam Hadriani objicerent sententiae suae de causae erroris probatione; ac si etiam haec aeque ac causae probatio a Latino in §. 29. facienda, non prius efficax esset, quam filio anniculo nato, nisi dicat aliquis interesse, uter errans Latinus Latinave, an civis Romanus Romanave sit; in Latino requiri anniculum, ne erroris causae probatio magis prodesset ei, quam ipsa causae probatio in §. 29.

tamquam. Hoc est, *ac si.*

§. 74. *Item peregrino.* Nova particula; vis senatusconsulti per rescriptum Antonini prolata est ad ipsum peregrinum, cui permissum est in singulari casu erroris causam probare; quod ceteroquin solis civibus et Latinis licuit.

uxorem duxisse. Nempe civem Romanam, quae per ignorantiam se peregrinam esse crediderat et virum in errorem induxerat.

filio nato. Cive Romano, nam ejusdem conditionis est ac mater.

alias, hoc est, alia quadam via ac ratione.

cum quaereretur. Dubitabatur, an novus hicce civis pater filii peregrini nati e matre cive Romana, quae in conditione sua errasset, causam probare posset; dubitabatur propterea, quia causae probationis beneficium solis civibus concedebatur, neque in errore fuerat peregrinus, sed uxor ejus, quae, ut conjicere licet, morte impedita fuerat, quominus uteretur in gratiam mariti et filii jure concesso in §. 68.

rescripsit Imperator Antoninus. Nempe Pius, florens ut videtur, cum Gaius in hisce Commentariis conscribendis occupatus erat vid. §. 53.

perinde — atque si. Videntur fuisse verba rescripti; *atque* est solenne.

posse eum. Nempe hunc recenter civem factum, uxore, quae in errore fuerat, jam antea mortua, et superstite filio qui ob non probatam neque a matre neque post ejus obitum, ut licuerat, a patre erroris causam peregrinus relictus, nec simul cum patre civitatem consecutus erat.

ex quo. An Rescripto?

etiam peregrinum. Nempe in singulari causa modo significata.

Contrahere videtur Gaius singulari diligentia in repetitis verbis: *quae saepius diximus* conspicua, ea quae copiose docuit de erroris, probatione et ad generalem hanc regulam revocare, nimirum: matrimonia inter cives Romanos et peregrinos quibuscum non sit jus connubii neque error intervenerit, contracta id efficere, ut liberi nascantur peregrini et deteriorem sequantur conditionem; sin vero probari posset, alterum in alterius conditione erravisse, probationem causae erroris admitti et contrahentes cum liberis in civitatem recipi jusque patriae potestatis nancisci. §. 75.

Uxorem duxerit. Nempe civis Romanus eam, cui ipsi est jus connubii. Vid. §. 56. §. 76.

Justum matrimonium. Conf. Ulp. Fr V, 2. synonimum est *justae nuptiae* in §. 55.

§. 77. *Si civis Romana peregrino.* Nempe ei, cui est jus connubii, quo efficitur, ut filius ad patris conditionem accedens nascatur peregrinus.

justus filius. Vox igitur *justus* h. l. latius patet et significat etiam eum, qui jure summo civili *injustus* est.

senatusconsulto auctore Hadriano. Animadverte historiam juris hujus loci. Natus e patre peregrino et matre cive Romana, connubio non interveniente, sequebatur conditionem matris secundum juris gentium regulam in §. 83. et L. 24. D. de stat. hom. idque etiam juris erat in filio nato e patre Latino et matre cive Romana, vid. §. 30., praecipiente Scto. Conversum est hoc jus lege Mensia, quam ita diserte laudat Ulpianus Fr. V. 8. ut de lectione dubitare et substituere nomen legis Aeliae Sentiae non liceat; hac igitur lege cautum, ut ex alterutro peregrino sive patre sive matre natus deterioris parentis conditionem sequeretur et injustus ac vulgo conceptus haberetur ratione matris. Voluit plebisciti auctor, ut videtur, intra certos fines revocare jus civitatis, ne temere peregrinorum filiis patri faventibus tribueretur. Mitigatum est legis Mensiae praescriptum hoc senatusconsulto, ac cautum, ut natus peregrinus quidem esset, sed justus parentum filius haberetur, utpote progenitus ex matrimonio, quod quamvis careret jure connubii, tamen secundum leges moresque peregrinorum esset justum. Add. §. 92.

Quod voluit Hadrianus hujusmodi filium fore *justum*, non potuit hac in re favere peregrino, ad quem vis ejus senatusconsulti non pertinebat, sed matrem tantum spectare, quare quaerere licet, quid filii interfuerit, habita ratione matris, utrum, quum careret omnimodo jure civitatis, justus an injustus diceretur? An consuluit fortasse mulieribus, ne viderentur vulgo concepisse? vid. §. 92. 80. 31.

§. 78. Attingi videtur h. l. argumentum et consilium laudatae legis Mensiae, cujus necessitatem hic demonstrare voluit Gaius.

sed etiam qui Latini nominantur. Significare videtur Gaius, vim legis Mensiae non tantum pertinuisse ad peregrinos populos universe, sed etiam ad Latinos; ne vero voce *Latini* in errorem induceremur, ac crederemus eos etiam intelligi, de quibus cavit Sctum in §. 30, addit: §. 79.

sed ad alios Latinos, qui proprios populos propriasque civitates habebant. Intelligit Gaius historiam juris publici ante legem Juliam respiciens priscos populos Latii *Latinos* dictos, qui peregrini vocantur §. 29. §. 56. et hoc ipso loco; quamquam socii deinde fuerunt Latini nominis sed jure connubii, ut videtur, carentes. In horum igitur regiones Romani olim colonias deduxerant §. 131., unde Latini coloniarii in §. 22., tamquam alterum genus, ad quorum similitudinem conformatum denique est tertium genus, Latinorum Junianorum.

proprios populos. Vox *populus* angustiorem hic obtinet significandi potestatem, ut Cicero loquitur de omnibus populis unius Siciliae, Act. 1. in Verrem, c. 2.; quare scriptores Romani, ubi de imperio Romano eximie sermo est, semper usurpant solenne hoc, quod passim apud Gaium: populus Romanus, magistratus P. R., provincia P. R., vectigalia P. R., sub imperio P. R., civis Romanus.

Ceterum e jure privato Latii sive populorum et civitatum Latinorum communi illustrem locum de sponsalibus excitat Gellius N. A. IV, 4.

Habebant — erant. Utitur Gaius tempore praeterito, quia jam lege Julia A. U. C. 665. civitas sociis Latinisque erat donata, iique non amplius peregrinorum loco esse poterant, quare lex Mensia, quam Gaius hoc loco historice persequi videtur, lata fuerit necesse est ante legem Juliam. conf. etiam doct. J. H. Beaujon, Spec. inaug: de variis modis, quibus variis temporibus jus civitatis Romanae acquiri potuit, Leidae 1845. p. 16.

cum Hollwegio existimamus excidisse: *eadem ratio facit, ut.* §. 80.

ex contrario — ex Latino. Nempe Latino Juniano, de quo est Senatusconsultum in §. 30. Hunc igitur veluti opponit priscis hominibus Latinis veteris Latii, de quibus lex Mensia cavit.

qui nascitur, civis Romanus nascitur. Huschkius: *ut civis R. nascatur;* at vid. adn. sup.

fuerunt tamen qui putaverunt. Nonne rectius dixisset *putarent.?* Est jam tertium exemplum controversiarum in illustriore hoc loco de causae probatione a Jctis agitatarum, conf. §. 73 et 74.; inprobat Gaius, ut vel adverbium *tamen* satis significare videtur, dissentientium opiniones.

per legem Aeliam Sentiam et Juniam. Hoc est, non legibus ipsis sed vi et interpretatione utriusque legis ficticium quoddam jus connubii admiserant inter istiusmodi Latinos et cives Romanas filiosque idcirco justos nasci et ad patris Latini accedere conditionem. Conf. etiam p 25. §. 22.

connubium dari, id est, *concedi,* ut in §. 57.

semper connubium efficit. Repetuntur ex §. 56.

aliter vero contracto matrimonio. Hoc est, in ceteris omnibus matrimoniis non contractis ex lege Aelia Sentia, receptam juris gentium regulam observari.

matris conditionem sequi. Conf. §. 81. et 86. Ulpianus in L. 24. D. de stat. hom. *matrem sequi.* et in Fr. V. 8. *matris conditioni accedens. Conditio* tantum significat statum civitatis, non familiae, in quam spurius, etsi matris cognatus proximus (L. 4. D. unde cognati,) non potuit recipi.

sed hoc jure utimur. Böckingius supplet: *at vero hodie civis Romanus est; scilicet hoc jure utimur ex*

§. 81. *etiam illud senatusconsulto.* An idem significatur ac modo laudatum? ita videtur. Mirari autem licet, opus fuisse, ut senatusconsultum hac de re caveret. An pertinuit denuo ad describenda jura patronorum, ad quos, ut ipsius Latinae, sic etiam liberorum ex peregrino natorum bona in morte redibant?

animadvertere debemus ne juris gentium regulam commutaverit. Huschkius *ne* conjecit pro *nec* idque recte propter potestatem verbi *animadvertere*, hoc est, *videre*, ut vis est vocis in §. 142; *juris gentium regulam* hanc Ulpianus in L. 24, D. de stat. homin. *legem naturae* vocat. Opponitur a Gaio *juris civilis regula* in II, 114. §. 83.

lex aliqua. Ulpianus l. l. *lex specialis.* An cogitavit fortasse legem Mensiam?

Ecce enim. Frequentatur haec dicendi formula in adferendis subitis exemplis, add. §. 193. II, 285. L. 49. D. de furtis, L. 9. §. 7. D. de adq. rer. dom. §. 84.

senatusconsulto. SCtum laudat Gaius, quippe quod legis vicem obtinet, add. §. 5. De senatusconsulto ipso Claudiano lato A. U. 805. add. §. 91. et §. 160. qui loci bene animadvertendi sunt, nam quod Sctum Tacitus Annal. XII, 53. Imperatori Claudio, idem Suetonius Vespasiano tribuere videtur in Vit. c. 11.

poterat. Tempore praeterito, quia Hadrianus mutavit, ut mox *poterat* in §. 85.

alieno servo coïerit. *Coïre* cum dativo construitur h. l. ut evitetur duplex ablativus, vid. etiam §. 91. In § seq. construitur cum praepositione *cum*, vid. etiam §. 160.

volente domino, hoc est, non invito, non denunciante (vid. §. 91.) atque adeo consentiente, ut apud Tacitum l. l. *sin consensisset dominus.*

ipsa ex pactione libera permanere, sed servum procreare. Fuit temperamentum legis durae, quae domino dabat potestatem vindicandi in servitutem mulierem liberam. Promittebat turpis istiusmodi mulier pro libertate sibi promissa, se, quod pareret, domino servi, tamquam libidinis et libertatis pretium esse traditurum.

libera permanere. Fiebat autem, ne turpis res, vel consentiente domino, prorsus inpunis esset, *liberta* domini, unde *ancilla* vel *liberta* ex Scto Claudiano apud Paulum

R. S. IV, 10, 2. cui add. II, 21. A. Apud Tacitum l. l. refertur ad Patres de poena feminarum, quae servis conjungerentur, statuiturque, ut *ignaro* (an legendum: *invito?* vid. Beaujon. II. p. 19) domino ad id prolapsae in servitute; sin consensisset, pro libertis haberentur. In fragm. de Jur. Fisci §. 12. vocantur *libertae — beneficio conjunctionis effectae.* Cl. Voorda in not. MS. ad Pauli R. S. l. l. existimat, cavisse Sctum, ut liberi ex hoc coitu nati libertinae essent conditionis.

Procreare h. l. dicitur de muliere, sicuti etiam in L. 1. §. 3. D. ad Sctum Tertull. et etiam simplex *creare* Vid. Burman. ad Phaedri Fab. I. 6. *Concipere* in L. 220. de verb. sign. et *parere* (ut Graecum τίκτειν) de viro, certe apud poetas.

Quod — convenerit, — ex Scto ratum esse jubetur. Pactum igitur hoc, quamquam per se nudum et inefficax, confirmatur senatusconsulto efficitque obligationem et actionem.

iniquitate rei. Quae profecto tanta fuit, ut vix intelligam, qui senatus ipse vim dederit pacto, per quod mater, a cujus persona aberat omnis notio potestatis, venderet partum, tamquam rem in commercio; nec mirum iniquitatis paduisse Caesarem auctorem humanissimi rescripti quod est in L. 18. D. de statu hom. adde etiam III, 73. In III, 25. *iniquitates* num. plurali, et adjectivum *iniquum* III, 40.

inelegantia juris. Hoc est, inconstantia, inconsequentia et sui repugnantia, quando aliquid invaluit, quo jus ipsum in tuenda aequitate et justitia sibi non constare videtur. Vocabulum autem hocce, quamquam ad indolem sermonis Latini tam bene conformatum, atque *inelegans* quod in III, 100., eodem sensu usurpatur, tamen in Lexicis non videtur reperiri.

Hadrianus — restituit. Qua forma? an senatusconsulto?

pactioni Scto Claudiano licitae omnem ademit vim ad eum modum, ut dominus non amplius ex pactione hac legitimam actionem haberet contra mulierem in pacto non stantem et partum tradere negantem.

quum ipsa — libera permaneat. Permanebat autem libera, sive voluntate domini coitum cum servo permittentis, sive vi pactionis, unde eam tantum partem efficacitate sua destituerat Hadrianus, quae erat de partu tradendo pro servata libertate matris domino.

nam ea lege. Locus hic plane respondet superiori; ut §. 85.
in §. 84. exemplum e Scto Claudiano attulerat de servo nato e muliere libera, sic affert hic exemplum de libero nato e muliere serva. In §. sup. sermo est de servo alieno, hic de serva aliena.

ea lege. Pronomen demonstrativum *ea* significat satis legem certam modo jam laudatam, non novam aliquam, quae nunc demum laudatur. In voce *ea* non potest latere nomen proprium legis. Qui hic ingeniose conjecerunt: *Mensia lege*, non satis animadvertisse videntur, numquam praeponi nomen proprium legis aut Scti; hinc lex Junia, lex Aelia, Sctum Pegasianum, Claudianum, non contra.

Intelligendum videtur Sctum Claudianum; lex vocatur, ut jam diu ante Tacitus Sctum Macedonianum *legem* vocaverat, et Sota Orphitianum et Tertullianum in L. 7. D. de capit. minut. *leges* audiunt. add. L. 14. §. 1. D. de manum.

Argumentum praeterea hujus loci tam bene convenit in Sctum Claudianum, atque alienum est a lege Aelia Sentia, quae de civitate et causae probatione, non de poenis libidinis cavet. Quod viri docti in notis conjiciunt: *ex* diverso *ex* lege Aelia Sentia *ex* ancilla, nolimus ferre in auctore, de quo tam praeclare meriti sunt.

quam credebat liberam esse. Usu itaque veniebat etiam hoc loco species quaedam causae probationis, ut aliquando succurreretur errori viri.

masculi nascuntur. Sctum hic differentiam quandam sexus in liberis natis posuerat, qualis juris Romani indoli semper fuerat contraria.

coïerit — liberi sunt. Et cives Romani, sed non in patria potestate.

coïerit. Nam etsi de uxore ducenda cogitasset, tamen matrimonium cum ancilla errore contractum ne jure gentium quidem justum fuerit; secus est in ea, quae dediticiorum numero est in §. 67.

masculi — si vero feminae. Feminae sunt muliebris sexus liberi, puellae, Latius patet quam *mulieres*, quae magis eximie sunt feminae aetatis perfectae et nubilis sine adjectione verborum *perfectae aetatis*, ut est in §. 144. et §. 193. unde saepe etiam *mulier* usurpatur de uxore vid. §. 90. 114. II. 63. IV. 177. et L. 14. §. 7. D. de aedil. ed.

ad eum pertineant. Hoc est, servi sint ejus.

pertinere, cujus vocis varia est potestas, eximie significat res, quarum dominium ad aliquem accedit; videtur fuisse usurpatum in ipso Scto.

Vespasianus restituit juris gentium regulam. Gaius ita laudat mutatam a Vespasiano legis particulam, ut crediderit Vespasianum etiam in alia, quam in hac specie, in qua juris inelegantia appareret, restituisse elegantiam.

Vespasianus — restituit. Hic igitur non fuit auctor ejus Scti, quod h. l. a Tacito recte ad Claudium refertur auctorem, sed suasor fuit senatui, ut in Scto ceteroquin sibi valde laudato emendaretur ea particula, quae esset de diversa conditione pro diverso sexu liberorum ex ancilla et homine libero natorum, utpote adversans principiis juris de partu sequente ventrem.

omni modo. Etiamsi vir in errore fuit. Nullus igitur amplius locus fuit qualicunque erroris causae probationi.

§. 86. *Sed illa pars ejusdem legis salva est.* Sctum, quod modo dicebatur legis vicem obtinere, hic jam *lex* vocatur,

nam verba ipsa: *ejusdem legis* argumento denuo sunt, sermonem hic unice esse de Scto Claudiano, quod primum in maxima morum turpitudine sanciverat poenam servitutis in mulieres servili amore, ut Justinianus ait, bacchatas; nam si Gaius post laudatum Sctum, sive id quod legis vicem obtinet (vid. §. 83.) recurrisset ad legem Aeliam Sentiam, quae, quidquid hac de re caverit, Scto mutata est, turbasset omnem docendi ordinem. Hujus igitur Scti summum jus civile continentis nulla habita ratione juris gentium Vespasianus et Hadrianus studio tuendae juris elegantiae duas sustulerant partes, sed integrum reliquerant principium et fundamentum legis, nimirum natos ex muliere servili amore bacchata fore domini servos secundum praecepta in §. 91

Sed illa pars — salva est. An sublata est ab Alexandro Augusto sive Severo in L. 9. D. de decur. post obitum Papiniani, qui in L. 2. D. ne de stat. def. hoc ipsum senatusconsulti jus significare videtur?

quem sciebat servum esse. Licuitne igitur illi propter ignorantiam erroris causam probare, ne dominus et se et partum in servitutem vindicaret? Ita omnino videtur, et quod viro erranti non concedi voluit Vespasianus (vid. §. super.) facile debuit indulgeri feminae post severum hoc senatusconsultum Claudianum. Conf. rescriptum Antonini in l. 3. Cod. sol. matrim.

ex libera — nascantur. Noli urgere verba *ex libera* tamquam aliena a senatusconsulto; nam potuit etiam post partum dominus uti jure SCti.

itaque apud quos talis lex non est. Itaque est conclusio orationis, unde exiit a parte postrema §. 82., cujus exceptiones descripsit in §. 83. usque ad partem priorem §. 86. et ad quam nunc redit.

apud quos. Intellige populos. Amat Gaius conferre jura et instituta gentium, praesertim ubi sermo est de parte

aliqua summi juris civilis, quale in usum venerat hoc Scto; add. §. 92.

jure gentium. Hoc est, communi ea lege, quae naturali ratione venit. Vid. §. 80.

nascitur. Nempe ex libera, quod non opus est, ut addatur in hac ipsa conclusione disputationis, quae instituta est de natis ex matre libera; etiam in §. 80. in fine *qui nascitur* nude ponitur.

§. 87. *etiamsi is civis Romanus sit.* At si pater non est civis, non video, qui hic cogitari possit aliquo modo vel levissima species patriae potestatis. Nam si cive peregrinam vel Latinam vel dediticiorum numero mulierem uxorem ducente natus sequitur matrem, accidit hoc multo magis in Latino ac peregrino.

plus quam manifestum. Frequentata Gaio dictio; add. L. 8. D. de sponsal. L. 5. §. 2. pr. D. de obl. et act.

non justo contracto matrimonio, hoc est, inaequali a disparis conditionis personis.

senatum intervenire. Nimirum eo SCto, quod supra laudatur de erroris causae probatione. Exquisita est dictio *intervenire:* quod hic significat: succurrere, adjuvare et emendare vitium matrimonii; *vitium* est defectus.

plerumque Nam ubi justa erroris causa non est probata, non efficitur patria potestas.

§. 88. *Non tamen in potestate.* Spurius est ingenuus quamvis natus e parentibus civibus Romanis, neque nuptiae deinde contractae cum libertina, ut est in exemplo in L. 28. §. 3. D. de lib. et post., hic juvabunt.

ex justo coïtu. Qualis esse nequit inter servum et liberum hominem; quare hic omnis notio matrimonii vel non justi longe abest.

§. 89. *manumissa.* Sive Latina facta sive civis Romana.

naturali ratione fit. Hoc est, regula juris (ut est in Epit. I. 1. 9.) ipsi rei naturae et rationi consentanea prae-

cipit, ut non concipientis sed parientis status ac conditio qualis fuerit, quaeratur.

statum sumunt ex eo tempore, quo nascuntur. Add. Epit. I. 4. 9. Idem est, atque in L. 9. D. ad munic. in simili sententia: *prima origo a matre eoque die, quo ex ea editus est, numerari debet*, et Ulpian. Fr. V, 10. *tempus spectatur — editionis.*

Vindicat Gaius summi juris regulam, a qua etiam Neratius et Ulpianus ll. non discedunt. Fuere autem jam aetate Gaii, qui summum jus benigna interpretatione et studio favendi causae libertatis temperarent, veluti Marcellus in tit. Institt. I. 3. laudatus, donec convaluerit in foro, obsoleta juris summi regula, humanior haec, quae est in Institt. ll. et inprimis excitatur a Paulo (R. S. II, 24. §. 1. et 2.) et a Marciano (L. 5. §. 2. D. de statu hom.) Ratio a Paulo adlata est: *favor libertatis exposcit;* a Marciano: *non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre est.*

At. Quam vocem Cl. Elvers in Prompt. Gaii omisit, saepe adhibetur a Gaio, ubi duo juris placita sibi opposita componit. Vid. §. 135. et 156. 191. II. 283. III. 146. et 151.

qui legitime concipiuntur, ex conceptionis tempore. Via regulae superiori veluti oppositae haec est: concepti a parentibus, qui justis sunt conjuncti nuptiis, cum nascuntur, non eam conditionem nanciscuntur, quam mater hoc natalium tempore habet, sed quam tum, quum concipiebat, habuit. A conceptionis tempore habentur pro natis, quando ipsorum commoda aguntur, et sumunt privatum familiae statum. Add. etiam §. 135. Ceterum conf. L. 11. Cod. de nat. liberis, et Theoph. I. 12. §. 9. *in justis nuptiis conceptionis tempus spectamus.*

mulieri — interdictum fuerit, eoque modo peregrina fiat. Anacoluthon: *mulieri — interdictum, eoque modo fiat.* An excidit *ea*, et legendum, *eaque eo modo?* §. 90.

peregrina fiat. Apud Ulpianum in L. 18. D. de stat. hom. rescriptum est Hadriani de muliere ultimo supplicio damnata.

complures. Non unus et alter, sed multi Jureconsulti, qui consentiunt et hac de re conveniunt.

ex justis nuptiis conceperit. Modo conjungebatur cum persona ejus *ex quo* conceperit. Adde Ulpianum ll., ubi idem adfert exemplum iisdem fere verbis.

peregrinum ex ea nasci. Ulpianus ll. *liberam — liberum parere.* An *liberum* significat *peregrinum?* Nam opponitur ll. *ex justis nuptiis — civem parit.* At quomodo nascitur peregrinus ex matre tum, quum edebat partum, adhuc cive Romana, quippe nondum supplicio adfecta? certe civem non nasci verba legis laud. satis declarant.

§. 91. *Item.* Hoc est, alterum exemplum.

praegnas. Est in Dig. perpetua haec lectio ex Cod. Flor., non *praegnans.* Vid. L. 5. §. 1. D. de stat. hom. Gaius declinasse videtur: *praegnas*, *pregnantis*, *praegnatem.* Vid. §. 94.

denunciante domino ejus. Opponitur *volenti* in §. 84. *Denunciare* est nuncium mittere, qui domini nomine vetet, mulieremque jubeat abstinere a servo; (barbare *protestare.*) Repetitâ ter denunciatione praesentibus septem testibus civibus Romanis, adjudicabatur domino servi in decreto Praetoris. conf. Paul. R. S. II. 21 a §. 17. Notabilis est locus in L. 27. D. depos. quem Tribonianus, sublato jam Scto Claudiano, integrum reliquit. Exemplum ibi adlatum docet, fuisse, qui filias ipsi suas in contubernium darent servis; atque hoc vi patriae potestatis licuisse, ostendit Paulus R. S. II. 21. 10. *Filiafamilias*, inquit, *si jubente patre, invito domino, servi alieni contubernium secuta sit, ancilla efficitur, quia parentes deteriorem filiorum conditionem facere possunt.*

distinguunt et existimant. *Existimant* et *superius putant* eandem potestatem significandi habent, quamquam Gaius universe *putare* magis usurpat in excitandis sententiis quorumdam, a quibus dissentit.

siquidem ex justis nuptiis conceperit. Quod denuo adfertur exemplum rei turpissimae, declarat hoc foedam morum pravitatem. Creditur mulier nupta, postquam conceperit ex marito, rem habere posse cum servo et ita turpitudini se dedere, ut denunciante frustra servi istius domino incidat in poenam Scti Claudiani. Pertinet huc Juvenalis Satir. VI, 279.

si vero vulgo conceperit. Hoc est, si gravida prius fuerit facta ex alio quocunque homine, quam servo se dedit; nam si ex ipso servo concepit nulla est dubitatio, quin pariat servum, quem cum ipsa matre adquirat dominus ex SCto.

Item. Novum denuo exemplum. §. 92.

si vulgo conceperit, — civem Romanum parit. Nam spectantur in hoc infante vulgo concepto ipsi natales. Quodsi mater ante partum civis Romana facta est, fieri non aliter potest, quin etiam filius sit civis Romanus sui juris; patrem spurius non habet.

leges moresque peregrinorum. Non jure connubii sed jure gentium honestissimum potest esse hujusmodi matrimonium, sed jure civili injustum est; nec Senatus hic succurrit, ut in §. 86. Argumento denuo est hic locus, quanta sit habita ratio peregrinorum et juris gentium. Add. exempla in §. 47. III. 120. IV. 37.

ex SCto, quod auctore Divo Hadriano factum. Est idem ac laudatum in §. 77.

nisi patri ejus civitas — quaesita. Sive interea petenti concessa sive bene merenti oblata, vid. §. 55. Filius jam ipso jure cum patre ad civitatem pervenit.

non aliter in potestate — fiunt, quam si Imperator §. 93.

redegerit. Nec poterat hoc ipso jure concedi, ne beneficium civitatis ipsis donatae referretur ad tempus praeteritum, et jura adquisita corrumperet. Add. III: 20.

aestimaverit, hoc filiis expedire. Aestimaverit, hoc est, re diligenter explorata arbitratus fuerit. Pertinet huc quod in edicto quodam significasse dicitur Hadrianus supra in §. 55.

expedire. Expedit, ut Graecum λυσιτελεῖ, praesertim in rei familiaris amplificandae cura usurpatur. Quemadmodum redactio in patriam potestatem expedire potuerit filiis, ostendit Plinii locus in Paneg. c. 37; nimirum sanxerat Nerva, ut in paternis bonis filius, qui cum patre in civitatem venisset, necessitate vicesimae solveretur, si modo reductus [malim ob Gaii locum *redactus*] esset in patris potestatem.

diligentius atque exactius causam cognoscit de inpuberibus absentibusque. Gravitas ipsa verborum declarat stylum senatusconsulti.

causa. Est argumentum ipsarum precum ad Caesarem de civitate et de patria potestate.

de inpuberibus. Significat hoc loco: ubi aguntur commoda inpuberum et absentium. *Inpuberum.* Quia vix intelligunt, cur consentiant. Explorabit igitur Caesar rem patris familiarem, qualis sit, et an liberis venerit pecunia a rationibus patris sejuncta. *Absentium.* Ne, dum negotiandi causa peregrinantur, status ipsorum diminuatur et aliquid detrimenti capiat; quo spectat etiam Praetoris Edictum in negotiis gestis. vid. L. 1. D. de neg. gest.

et haec ita edicto. Ita: videtur igitur locus superior ex ipso SCto (nam sic Edictum intelligendum) esse descriptus. Add. §. 27.

§. 94. *simul hoc petere debet.* Hoc est in eodem libello sive precibus ad Caesarem oblatis, sive ipse petit sive per magistratum majorem gratia apud Caesarem florentem, qua-

lis erat Plinius apud Trajanum. Exemplum illustre in Epist. X, 6. *Rogo ut propinquis ejus* [medici, qui Plinium curaverat] *des civitatem: Chrysippo, uxori — liberis — ita ut sint in patris potestate atque iis in libertos servetur jus patronorum.*

Atque hac etiam in re diligens causae cognitio instituatur necesse est ob liberorum commoda, ne temere petentis precibus indulgeatur, quod liberis ipsis minime expediat.

Alia causa est — qui Latini sunt. Latini igitur Juniani privilegio utuntur, quod peregrinis in §. 93. negatur; ipso igitur jure liberi subjiciuntur sine causae cognitione aliqua in patriam potestatem. §. 95.

quod jus quibusdam peregrinis. Quibusdam peregrinis civitate donatis idem ac Latinis ipsis singularis hic favor concessus fuisse videtur, ut simul cum civitate etiam patriam potestatem adquirerent. Quales autem peregrini hic intelligendi sint, non satis constat; nam qui in §. 96. significantur, hi ita videntur commemorari, ut ad illos non pertineat beneficium *quibusdam peregrinis* datum.

magistratum gerunt civitatem — consecuntur minus latum est. Qui hic significantur Latini sunt iidem atque in §. 34. et §. 79. ubi adnotavimus, opponuntur Latinis et illis *quibusdam peregrinis* in §. superiore laudatis. Hi ut aliis bene meritis in §. 34. sic etiam gerendo magistratum aut honorem in civitatibus suis, consequuntur quidem jus civitatis Romanae, sed sibi tantum non uxoribus et liberis. §. 96.

minus latum est. Hoc est: jus Latii hic non tam late patet; angustioribus finibus est circumscriptum. Discedimus a sententia Niebuhrii qui pro *latum* conjecit *Latium*, quamquam hanc tuetur Savignius in Systemat. Jur. Rom. II. 45.

Hi tantum. Hoc est exceptis liberis, et uxoribus ad quos beneficium civitatis patribus ob bene merita concessum non proferebatur.

magistratum vel honorem gerunt. Significari videntur aedilitas et quaestura, quos magistratus etiam in civitatibus juris Latii difficiliores et graviores fuisse, facile intelligitur.

honorem. Tribuitur h. l. etiam hominibus in istis civitatibus. Opponitur *magistratus*, ut etiam in l. 11. D. de Pollicitat. non omnis magistratus est honos.

perveniunt. Hoc est pervenire possunt; nam non ipso jure fiunt cives Romani, Caesar debuit probare.

compluribus epistolis Principum. Saepius accidisse, ut hujusce generis novi cives vel ipsorum liberi de statu suo dubitantes adirent Caesares, hique ad libellos petentium rescribere cogerentur: esse beneficium ipsis concessum non tam latum, ac putare viderentur, neque ita esse interpretandum, ut etiam ad uxores et liberos pertineret.

§. 99. *justum sibi filium esse.* Hoc est, quem habiturus sit in patria potestate, adrogatione efficiente agnationem civilem.

an id fieri patiatur. Hoc est, an fiat auctor perficiendi actus, quo capitis diminutionem subiturus est.

et populus rogatur, an id fieri jubeat. Haec verba in l. 2. D. de adopt. omissa sunt. Ergone etiam Gaii et Ulpiani aetate antiqua reipublicae forma in curiatis illis comitiis adrogationis gratia mansit? Nimirum curiata ista comitia hujusmodi actuum celebrandorum semper dicis causa habita sunt, et quamvis ipsius Diocletiani tempore nondum prorsus in desuetudinem abiisse videantur, ut conficitur ex L. 2. C. de adopt., tamen ipsa libera republica convocatus populus tam rarus conveniebat, ut omnis fere solennis actus per triginta lictores populi personam referentes perficeretur; vid. Cicero Oratt. de Legg. Agrar. II, 12. Quare Galba Caesar, ut auctor est Tacitus Hist. I, 15., non dubitavit pro auctoritate sua inconsulto populo adrogare Pisonem.

Exemplum adrogationis apud Principem habet Vopiscus in vita Aureliani c. 14.

Populus — an jubeat. De voce *jubere* vid. p. 2. et 30. est decernentis. vid. Ernesti ad Suet. vit. Claudd. p. 25. add. L. 5. D. de Jur. Patron. et Plin. Epist. IV. 10. Etiam in formula arrogationis, quae est apud Gellium N. A. V, 19.: *Velitis jubeatis Quirites.*

Denique, quod Romae tam solenni modo publice celebrabatur, hoc Athenis plerumque solo testamento perficiebatur.

gradum — qualis est filius — nepos. Filius igitur et nepos hic sumuntur pro ipsis gradibus.

Adoptio — per populum — nusquam nisi Romae fit. §. 100.
Idque propter comitia curiata, quae non nisi Romae haberi potuerunt. Cf. Liv. Hist. VI, 32. Crediderim cives in provinciis primos precibus adiisse Caesarem, et sic magis magisque etiam in urbe invaluisse formam adrogandi per rescriptum, justi et difficilioris modi in comitiis gratiam faciens.

in provinciis apud Praesides earum. Additur *earum*, quia vocabulum *Praesides* semper conjungitur cum adjecta voce *Provinciarum;* conf. §. 6. 29. 53. 134.

Item. Alterum exemplum. §. 101.

nam id magis placuit. Itaque quaesitum fuit, an mulieres sui juris in comitiis, a quibus feminae abesse debent, adrogarentur.

etiam feminae solent adoptari. Si adoptio h. l. accipienda est de his, quae alieni juris sunt; Gaius eodem fere loco bis idem docet; nam in §. 99. diserte enumerantur in personis eorum, quos adoptamus, *filia — neptis — proneptis.* An res sic intelligenda: ne ob comitiorum impedimentum commodis adrogationis carerent, in foro convaluisse videtur, ut haud secus ac feminae alieni juris (§. 99.) adoptio, etiam feminae sui juris arrogatio celebraretur apud Praetorem; nam status mutatio in feminis multum abfuit, ut eandem atque in viris effica-

citatem haberet. Excipientibus deinde Caesarum rescriptis antiquum ritum, etiam feminarum adrogatio non amplius per Praetorem, sed per rescriptum explicari coepit, vid. l. 8. Cod. de adopt. et L. 21. D. eod., quae ad novum jus interpretatione adcommodata est; nam qui putant, doceri h. l. feminarum adrogationem vetitam esse, hi, ut nobis videtur, non adsequuntur verborum sensum. Confutat etiam illos exemplum *emancipatae*, ut ipse Plinius illam vocat, a patre et mox a patruo adoptatae atque adeo adrogatae mulieris, Epp. XIII, 18, 4.

vel in provinciis. Et fluxit fortasse haec feminarum adoptio ex jure gentium. Athenis certe jure adoptari potuerunt testamento mulieres; nanciscebantur jura ἐπικλήρων; cf. Isaeus de hereditate Hagniae, p. 142. §. 8. et p. 151. §. 41. ed. Schömanni.

apud proconsulem legatumve. Ergone in iis tantum provinciis, quae populi, non in iis, quae Caesaris erant, et a Praeside gubernabantur? Promiscue videntur laudari Proconsul et Praeses. Vid. §. 105.

§. 102. *Item inpuberem apud populum adoptari aliquando prohibitum est, aliquando permissum est.* Tertium exemplum inpeditae adrogationis in comitiis. Ut de feminarum, sic etiam de inpuberum adrogatione ante constitutionem Antonini Pii quaesitum fuisse videtur.

prohibitum — permissum. Nempe petitione, ut videtur, singularem et gravissimam explicante causam consulibus aut pontificibus oblata, ut legum et juris recepti (quo pertinet Ulpiani Fr. VIII, 5.) gratia fieret. Ulpianus etiam in L. 17. D. ll. significat causas, quare aut prohibenda aut permittenda sit.

nunc ex epistola. Significat Gaius tempus praesens, cui opponitur *aliquando*, quod referendum est ad tempus praeteritum, ut II, 103, 227.

epistola. Mandatum scripto consignatum, quo aucto-

ritas data fuit admittendi in comitia pupillum adrogandum.

optimi Antonini. Cujus denuo prudentia et humanitas hic conspicua est. In L. II, 195. jam *Divus* Antoninus est.

pontificibus. Hoc est pontificum collegio, quorum auctoritate omnis adrogationis actus in comitiis celebrari debebat, nam agebatur de sacrorum translatione in alienam familiam, praecipuaque adoptionis causa in ipsa sacrorum conservatione posita erat. Conf. Disp. Inaug. Cons. J. De Bas.: de vi religionis in Jus Rom. civile, p. 55. L. B. 1831.

si — videbitur. *Si* cum indicativo significat h. l. *quando*, add. §. 117.

justa causa. Hoc est, honesta, utilis, commoda; qualis justa causa etiam in adrogatione puberum postulabatur. Vid. L. 15. §. 3. D. de adopt. et h. l. supra p. 20.

cum quibusdam conditionibus. *Cum* h. l. magnam habet vim, significat *accedentibus — conditionibus.* Sic infra §. 112. *cum certis verbis*, et IV, 141. *cum poena agitur*, et in II, 153. *cum libertate heres institutus.*

quibusdam, Id est h. l. certis, definitis. Sic §. 112. *quoddam genus sacrificii.*

conditiones. Sunt cautiones; potuerunt usu venire in adrogatione puberum; quamquam etiam haec flagitabat causae cognitionem.

permissum est. Antea igitur, quum de justae causae cognitione et cautionibus nihil praeceptum erat, saepius prohibebatur; nunc semper permissum est.

cujuscunque aetatis. Hoc est tam inpuberis, quam puberis aetatis personas alieni juris. De efficacitate utriusque adoptionis vid. II, 138.

quia et hi. Ut recte sit *quia* debet h. l. habere vim §. 103.
adverbii: *quod*, add. II. 177.

quales sunt spadones. Conf. Ulp. Fr. VIII. 6. Exempli causa adferuntur, nec castrati ab illis excluduntur. Secus est in Institt. h. t. §. 9.

§. 104. *nullo modo.* Neque apud populum, neque apud Praetorem, neque apud Praesidem Provinciae. Primus veteri huic juri, etiam in foro Attico vigenti (vid. Isaeus de hered. Apoll. p. 97. ed. Schömanni ibique laudatus locus e Symbolis Platneri de Jure Att. p. 112), obrogavit quodammodo Diocletianus in L. 5. C. de adopt.

§. 105. *item.* Novum exemplum, in quo idem commune utriusque adoptionis.

per populum, sive apud Praetorem vel. — *Sive* h. l. disjunctive sumitur.

§. 106. *Sed et illa quaestio. Illa* eximie est gravior et difficilior quaestio, quae etiam aetate Gaii adhuc agitata fuisse videtur, ut nondum usurpari posset illud *placet*, quo in Instit. h. t. §. 4. vetus controversia significatur. Ulpianus vero in L. 15. §. 3. D. de adopt. non amplius dubitare videtur; quin Modestinus in L. 40. eod. ipsam plenam pubertatem requirit, nec de controversia Jctorum aliquam injicit mentionem. Imitatio igitur naturae non primaria fuit causa. Apud Suetonium in vit. Tiber., c. 2. Clodius ob expellendum urbe Ciceronem plebeio homini eidemque natu minori in adoptionem se dedit, adprobante, ut tum tempora erant, pontificum collegio.

§. 107. *is, qui liberos in potestate habet.* Eleganter Papinianus in L. 11. §. 2. D. de bon. poss. sec. tabb. *dando se adrogandum cum capite fortunas quoque suas in familiam et domum alienam transfert.*

tamquam nepotes. An excidit h. l. exemplum ex historia Caesarum petitum, quod adfertur in Institt. tit. §. 11.?

A jure Attico aliena fuit hujusmodi adoptio. Adrogabantur tantum coelibes et orbi, solvebaturque adoptio, quam primum adoptatus genuisset filium, quem in adoptantis familia relinqueret. Cf. Isaeus de hered. Arist. p. 134. et Demosth. in Leoch. p. 1080.

§. 109. *in manum feminae tantum conveniunt.* Nimirum *manus*

est potestas mariti, in quam traditur uxor tamquam res aliqua mancipi adhibito ritu confarreationis aut coëmtionis, quo neglecto successit usucapio, haud secus atque in adeptione dominii rerum mancipi mancipatione non adhibita, ne status mulieris nuptae in incerto esset. Manus et potestas nunquam confunduntur nec promiscue usurpantur. Vid. §. 49. et §. 142. Hinc illud *in potestate — manu mancipiove* in Fr. Vat. §. 300. Latius patet vis vocis *manus* apud Livium, Hist. XXXIV, 1. loco illustri: *Majores nostri voluerunt feminas — in manu esse parentum, fratrum, virorum*, ubi *manus* etiam potestatem et tutelam agnatorum continet. An restituenda est vox *manum* in L. 15. D. de R. N. et in L. 121. D. de V. O?

olim tribus modis — conveniebant. Voce *olim* Gaius significat *usum;* nam formae solennes, coemptio et confarreatio etiam aetate Gaii nondum obliteratae erant; unde utriusque mentionem facit tempore praesente, §. 112. et §. 113. usûs vero tempore praeterito. Quare etiam hunc manus adquirendae modum obsoletum primo loco attingit, quamquam *usus*, quippe supplementum, si dicere licet, neglectae formae, coemptione jam recepta cogitari non potest. §. 110.

quae anno continuo nupta perseverabat. Si viro nupsisset sine confarreationis aut coemptionis ritu inque ejus domum deducta annum continuum nulla absentia interruptum in conditione matrimonii perseverasset, atque adeo hoc ipso facto significasset velle se in manum ejus convenire, cujus fidem jam perspectam haberet. §. 111.

nam velut annua possessione usucapiebatur. Velut, hoc est, ad exemplum et effigiem rei mancipi mobilis nude traditae; re autem vera minime possidetur. Vid. II, 90.

usucapiebatur. Hoc igitur modo, praeterlapso anno id efficiebatur, quod ritu solenni coemptionis statim perficiebatur, nimirum conveniebat nupta nunc in manum, cujus

vis in his duabus rebus potissimum cernebatur, quod in familiam viri sive sui juris sive alieni transibat, et in ea filiae locum obtinebat.

in familiam viri transibat. Eadem fere Gellius N. A. XVIII, 6. *matremfamilias — eam solam, quae in mariti manu mancipioque aut in ejus, in cujus maritus manu mancipioque esset, quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti et in sui heredis locum venisset.* Commutabatur igitur ejus status, §. 162. III, 83., diminuebatur capite, solvebantur jura agnaticia, quae cum sua familia contracta habuerat, III. 21., desinebat jure civili debere, quae ex contractu praestare obligata erat, IV, 38. Gellius *manum* usurpat de viro!

filiae locum obtinebat. Sive, ut est in II, 139., *filiae loco esse incipit et quasi sua est;* add. III, 14. *filiae jura consecuta est* — aut *nanciscitur* vid. §. 115. infra.

Filiae, h. e. filiaefamilias loco; quamquam distinguuntur III, 114. *filiafamilias* et *quae in manu est.* Poterat igitur hujus, ut liberorum in potestate, furtum fieri, III. 99. injuria uxori illata a marito vindicabatur ut sua III. 221. In delictis ab uxore commissis maritus judicio propinquorum domestico praeërat. Plinius. H. N. XIV, 14. Gellius ll. X, 23. Vid. praeterea Livius Hist. XXXIX, 18. Rumpebat viri testamentum antea factum quasi agnatione sui heredis, II, 139., quidquid adquisivisset, viro adquirebat, II, 87. 90. III, 83. eique tradebat universitatem omnis sui, si quod habebat, patrimonii, II, 98. add. Cic. Top. IV, 23. Erat ei in numero suorum heredum, III, 3. quare tutores legitimi agnatae, ut Flaccus sororis suae Valeriae apud Ciceronem in Orat. pro Flacco, non facile auctores erant contrahendis nuptiis manus effectricibus omnemque ipsis spem successionis adimentibus. Nec tamen soluta fuisse videtur patris naturalis potestas, nam legimus apud Papinianum, legg. Mos. et Rom collat. IV, 7. *occidendi*

facultatem lex tribuit eam filiam, quae — eo auctore in manum convenit.

si qua nollet eo modo — convenire. Ipsa mutati status auctor esse debebat, invita igitur non poterat retineri, quin eo potissimum, ut videtur, consilio omnem formam solennem averterat, ut suo arbitrio relinqueretur, utrum vellet usucapta in manum convenire, an nupta in sua perseverare potestate. Quid? si a patre in matrimonium hocce collocata interea repetebatur, an poterat negare sequi? Sane non poterat, soluta nondum ejus potestate. Quid? si jam emancipata in tutela legitima agnatorum erat? nempe in contrahendis nuptiis horum indigebat omnium auctoritate, si quidem agebatur res ejus familiaris, quae in tutela legitima continebatur, et de qua nihil poterat usucapi, nec diminui, nisi omnibus tutoribus auctoribus, cf. Cic. in Orat. laud. c. 34., quo loco miror plures laudari tutores praeter Flaccum, ad quem tamen solum venit hereditas sororis, quippe non in manum viri datae nec coemptione nec usu. Tutoribus igitur invitis non potuit remanere et pati se usucapi, quo facto tutela sive res ejus familiaris tutorum agnatorum curae commissa diminueretur et ad maritum transferretur, necesse esset.

quotannis trinoctio abesset. Et, ut est apud Macrobium, Saturnal. I, 3. *usurpatum iret.*

trinoctio. Quod tempus quam diligentissime esse computandum, et ne ultimae quidem noctis ultimam partem horarum inpune deficere posse, ne usucapiatur, quae usurpatum ivisse credat, acuto responso significavit Q. M. Scaevola apud Macrobium l. l. et Gellium N. A. II, 2.

usum — interrumperet. Ipsa igitur, ut sui domina, se vindicat in libertatem. Antiquioribus JCtis frequentatum fuit *usurpare*, quo utitur Q. M. Scaevola l. l. De usurpationibus jam librum scripserat Appius Claudius

L. 2, §. 36. D. de verb. sign. Titulus etiam Digestorum in Libro XLI inscribitur *de usurpationibus*, sed in ipso titulo semel tantum hac potestate verbum adhibetur.

sed hoc totum jus partim legibus sublatum est, partim ipsâ desuetudine obliteratum est. Totum jus est XII Tabb. quatenus de manu per usum cavit.

sublatum legibus. Alibi IV, 30. construit *tollere* cum Acc. *per legem.* An *legibus* eximie intelligitur lex Julia Papia Poppea?

desuetudine obliteratum. Frequentata magis dictio est: *in desuetudinem abiisse* II. 103. III, 17. et in L. 27. §. 4. D. ad L. Aquil. Julianus in L. 32. D. de Legg. usurpat *per desuetudinem abrogari.* Quid igitur significatur? mulieres non amplius annum usurpasse? aut semper usurpasse? aut continuam anni commorationem in domo mariti non amplius id effecisse, ut locum filiae obtineret?

§. 112. *per quoddam genus sacrificii.* Antiquissimus fuit hic ritus, quippe cum religione conjunctus et a solis patriciis, quum auspicia haberent, adhibitus, conf. insignis locus Dion. Halic. Antiq. II, c. 25. convenit in jure Attico ritus: *γαμηλίαν ὑπὲρ γυναικὸς εἰςφέρειν*, conf. Plattner, II. p. 153. et Schömannus in notis ad Isaeum II. p. 263.

unde etiam confarreatio dicitur. Hinc *nuptiae confarreatae, parentes confarreati* et verbum *confarreare* apud Tacit. Annal. IV, 16. add. Plinius II. XVIII. 3 et Servius ad Virg. Georg. I. 31.

Cic. in Oratt. l. l., ubi usus et coemptionis mentionem facit, omittit hunc modum, qui sua jam aetate, ut videtur, non nisi sacrorum causa adhibebatur; nisi dicat aliquis, maritum Valeriae non fuisse e gente patricia ideoque de confarreatione hic cogitari non potuisse, ac si Cicero in summa orationis copia hoc reticuisset et non multo magis commemorasset, ut novam sententiae suae auctoritatem conciliaret. Confeceris ex hac composita voce et verbis Gaii ac Dionysii Halic. II, c. 25. ab utrisque panem

sive libum farreum fuisse oblatum et a viro cum muliere communicatum tanquam imaginem et symbolum individuae vitae consuetudinis et omnium rerum humanarum ac divinarum communicationis; φαῤῥακία, inquit Dion. Hal. II. ἐπὶ τῆς κοινωνίας τοῦ φαῤῥός. Etiam apud Macedones ut tradit Q. Curtius in vit. Alex. VIII: 16. panis adferebatur eratque hoc sanctissimum coeuntium pignus, quem panem divisum gladio uterque [sponsus et sponsa?] libabat. Mirum autem in diffarreatione sive in dissolutione harum solennium nuptiarum etiam farreum libum in sacrificio fuisse adhibitum, vid. Festus in voce: *diffarreatio.*

complura praeterea. Gaius, et Ulp. Fr. IX., qui fere eadem tradit, vix amplius accuratam habere videntur omnium rituum et sacrorum hic observandorum notitiam. De aqua et igne, quo spectat L. 66. §. 1. D. de don. int. vir. et ux., de frugibus, de ove, de hostia, (de quibus Servius laud. in not. ad Tacitum l. l.) nihil monent.

cum certis et solennibus verbis. De vi praepositionis *cum* vid. §. 103. Quid differant verba *certa* et *solennia*, docetur IV. §. 83. 97. Non omnia verba *certa* sunt etiam *solennia*, sive ejusmodi, a quorum conceptione plane non licet recedere. An apud Cic. de Orat. I. c. 40. pro *certis quibusdam verbis* legendum est *certis et solennibus* verbis? Pomponius in L. 2. §. 6. D. de orig. jur. legis actiones vocat *certas solennesque.*

decem testibus. Quare *decem?* Nihil additur neque de civitate, neque de pubertate, ut solet in laudatione testium.

aguntur et fiunt. Agi usurpatur de majoris alicujus rei effectione modo solenniori, veluti in §. 119. 132. II, §. 102. 105. Ulpian. Fr. XX, 9.

quod jus etiam nostris temporibus. Gaius confarreationem, ut supra usum, *jus* vocat, h. e., justum lege et more sancitum ritum justas contrahendi nuptias.

nam Flamines majores i. e. Diales, Martiales, Quirinales, sicut reges sacrorum, nisi sint confarreatis nuptiis nati inaugurari non videmus. Cf. Tacitus, Annal. IV, 16. et Festus v. *majores.* Videtur ritus iste sacer, quamquam moribus introductus et ab Etruscis cum omni sacrorum interpretatione repetendus, (vid. auctores apud Cl. Micali, in op. Italice scripto: Italia ante Romanorum dominationem II, 22.) a Decemviris inprimis commendatus esse Patriciorum ordini, quo facilius Plebei repellerentur a nuptiis, quae istiusmodi requirerent ritus sacros, quales a diversi ordinis hominibus non celebrari possent. Conversis moribus soli pontifices majores illum retinuerant antiquitatis et religionis reverentia. Fuit autem tam sancta hujus matrimonii vis, ut nec divortio solvi, nec in morte uxoris maritus munus Flaminis diutius retinere posset. Conf. Gellius ll. X, 15. et Plutarchus Quaestt. Rom. Quaestio quinquagesima, add. Cl. Hasse, de jur. dot. §. 23. not. 109.

sicuti reges sacrorum. Unum tantum intelligit regem sacrificulum, de quo conf. Livius Hist. II. 2. et Festus in voc. Plut. ll. Quaestio sexagesima tertia. Cl. Hasse, ll. conjecerat: *ratione sacrorum* nimirum ob sacra facienda necesse fuisse, ut nati confarreatis nuptiis inaugurarentur.

§. 113. *per mancipationem.* Quodsi bene se habet audacior Huschkii conjectura, Gaius in describendo ritu tum temporis fere obliterato multus fuit, ut numquam alias, cogitavitque hic in eadem formula causas diversas, nempe coemptionem filiaefamilias patre auctore, et emancipatae tutoribus auctoribus. Maritum vero coementem eum tantum sibi informavit, qui parente adhuc uteretur inque ejus potestate esset.

imaginariam venditionem. Omnis mancipatio etiam est imaginaria venditio, quia unus nummus est imago totius pretii, §. 119., sed imaginaria venditio per se est quasi

simulata venditio, ubi aliud cogitatur, quam agi videtur. Exemplum est in L. 55. D. de contrah. emt.

item libripende. Et quidem ejusdem conditionis, ut est in §. 119., id est, debet esse pubes et civis Romanus quamquam etiam dispensatores, qui servi fuerunt, dicuntur, *libripendes* (III. 160.) ut docet Plinius H. N. XXXIII, 3.

mulier — cujus in manum convenit. Elegans admodum est Göscheni conjectura haec *nam adhibitis — item libripende, nummo emit mulierem is cujus* cet; malimus autem cum Klenzio legere: *mulier mancipatur ei, cujus,* utpote aptius loco praecedenti. add. §. 117.

Ut mancipatione manus constituebatur, sic remancipatione solvebatur. Gaii autem aetate vetustum hunc coemptionis morem, qui etiam in Graecia aliquando viguisse videtur, (Arist. Polit. II, 6. 8. cet.) et in jure Mosaïco (Michaëlis de Jur. Mos. §. 85.) et aliorum populorum moribus (Heinecc. ad leg. P. P. p. 254.) vix amplius fuisse observatum satis arguit historia illorum temporum et gliscens mulierum potentia etiam in rei publicae procuratione conspicua.

cum marito suo facit coemptionem. Verba haecce *cum marito*, cui opponitur *extraneus*, indicare videntur, fuisse nuptias et accessisse coemptionem; coemptionem igitur non effecisse nuptias, sed manum mariti in nuptam.

matrimonium aliquando sumitur pro ipsa manu, veluti in Fragm. Vat. §. 298. In L. 46. D. fam. ercisc. pro ipsa uxore.

apud eum filiae loco sit. Et si ipse in potestate est, neptis loco apud socerum.

velut tutelae evitandae causa. Exempli causa nimirum mentio fit tutelae legitimae; nam fuerunt et aliae causae, veluti sacrorum interimendorum, (quo pertinet illustris locus Ciceronis in Orat. pro Muraena, c. 12.,) et testamenti faciendi, §. 115a.

fiduciae causa, Hoc est, ut interposita fiducia nanciscatur jura, quae optat, aut eligendi tutoris aut interimendorum sacrorum aut faciendi testamenti.

§. 115. — *si* — *velit quos habet tutores reponere.* Hoc est, dimittere agnatos et se ab illis liberare et alium in tutoris dimissi locum ponere, qua potestate etiam Cicero usurpat *reponere*, Epp. VII, 18. Vid. etiam Gaius L. 10. D. quod met. causa.

tutores — *alium*. Itaque pro pluribus lege datis unum eumque extraneum.

iis auctoribus, cf. §. 195., sine quorum auctoritate nihil diminui potest de tutela. Neque inviti dabunt lubenter se liberantes a tutelae onere.

deinde. Brevissimum hic notat temporis intervallum.

coemptionator. Novum vocabulum Latinum in lexicis non obvium; restituendum est Ulpiano Fr. XI, 5. Frequenter illo utitur Gaius in hoc primo commentario, vid. etiam III, §. 83. Proprie significat eum, quîcum mulier aliûs quam matrimonii causâ coemptionem facit.

remancipata. Explicatur vox a Gallo Aelio apud Festum, p. 277. vid. etiam Heimbachius, in fragm. Galli, p. 26. Est autem mancipata ab eo, cui per mancipationem in manum convenerit. *Re* in compositione significat duplicationem: secunda vice mancipatur. Alia est vis vocis in §. 172., ubi mancipatori iterum mancipatur sive restituitur.

cui ipsa velit. Nimirum in ipsa coemptione interposita fiducia indicaverat, cui vellet denuo mancipari, atque hic profecto consenserat ac mulieri promiserat se ipsam sibi mancipio traditam manumissurum et oneri tutelae suscipiendae ipsum se esse subjecturum, add. §. 172.

vindicta manumissa. Mulier jam altera hac mancipatione convenit in manum ejus ipsius, quem sibi vult esse tutorem, atque hic, ob interpositum cum coemptionatore fiduciae pactum, statim mulierem manumittit, quo illa tandem voti compos reddatur.

vindicta. Mittit igitur mulierem e potestate et manu sua coram Praetore, tamquam dominus ancillam et mancipator filiumfamilias, §. 132. At sui juris denuo facta non potest esse sine tutore. Itaque accipit ob vim legis ipsum manumissorem tutorem, ut inpubes emancipatus patrem. Atque in hac fiduciarii tutoris tutela posita, et per capitis diminutionem, quam passa est, consequitur majus in faciendo testamento negotiisque contrahendis jus, quam ipsam facultatem hic unice spectavisse videtur.

tutor fiduciarius. Nam *fiducia* se obstrinxit, se mancipio sibi datam manumissurum esse ejusque tutorem futurum.

sicut inferius apparebit. Mox §. 118a. fin.: *sicut — evidentius apparebit. Evidentius* rectius convenisset in hunc locum. Significatur §. 166. et §. 195.

olim. Etiam hic significat tempus non diu praeteritum, §. 115a. nam Hadrianus vetus jus inmutavit, conf. §. 22.

non aliter feminae. Opponuntur masculini sexus hominibus, qui non opus habuere hujusmodi capitis diminutione. Rem explicat Cicero Top. c. 4. pertinet hic etiam locus in Epp. VII, 21. quem illustravit cl., Huschke in *studiis Jur. Rom. disp.* 1.

exceptis quibusdam personis. Significat Gaius certas personas, quas ab oculos habet, veluti in §. 194. et in II., 112. et virgines Vestales, conf. Gellius N. A. 1, 12.

hanc necessitatem — remisit. Sublata tutela agnatorum (§. 157), cessavit causa. Potuerunt ab initio eligere, quem vellent, neque amplius capitis diminutio postulata fuit.

ex auctoritate Hadriani. Significatur Sctum ad ejus orationem factum, de efficacitate testamenti mulieris ejus, quae sine capitis diminutione, per coemptionem facta, judicium suum postremum solenniter declaraverit.

remisit . . . femina. Conjicit Heffterus: *censebantur enim perinde feminae ac si infantes essent.* Ergone Gaius hinc jam argumentum cepit pro sententia sua in §. 190? at haud scio, an nimis subtilis sit viri Cl. conjectura.

§. 115b. *fiduciae causa cum viro suo fecerit coemptionem.* Hoc est: si extraneo, sive ei, quîcum coemptionem fecit alterius rei quam matrimonii causa, mox nubit (II. 139.), solo consensu faciente hasce nuptias, habebitur hoc matrimonium contractum per coemptionem, nam quum esset jam in manu istius viri, nuptiae accesserunt et effecerunt, ut tamquam per traditionem brevi manu, si dicere licet, filiae locum obtineret apud maritum, qui jam antea fuisset coemptionator.

si omnino qualibet ex causa uxor in manu viri sit. Atque hujusmodi uxor etiam fiebat materfamilias. Conf. Gellius II. XVIII, 6.

placuit. Quaesitum igitur fuit, an sic causam suam et conditionem potuerit mutare et vim coemptionis adcommodare ad aliam causam, quam cujus rei gratia facta esset.

§. 116. *Superest — quae personae in mancipio sint.* Nam egit jam de potestate a §. 52.—108. et de manu. a §. 109. usque ad 116.

personae in mancipio. Hoc est: possunt esse objectum ritus mancipationis et alii ita tradi, ut apud eum sint in conditione mancipii.

§. 118. *mancipari.* Hoc est: quae in manu est, sive fiduciae, sive matrimonii causa, potest a coemptionatore suo aut marito haud secus mancipari et in manum tradi, ac pater mancipat filiam. Exempla sunt apud Plutarchum in vit. Caton. min. p. 771., et Dionem Cassium Hist. XLVIII. 44. siquidem conjicere licet, nuptias ibi laudatas per coemptionem esse contractas.

apud coemptionatorem filiae loco sit. Vox *coemptionator* hic etiam de ipso marito usurpatur, cui uxor per coemptionem in manum convenit. Ceterum quod docetur h. l.

de jure coemptionatoris ejus, quicum non matrimonii, sed alterius rei causa coemptionem fecerat, hoc jam exemplo illustraverat Gaius in §. 115.

e suo — jure — dimittere. *Jus* est h. l. potestas et manus, quam dimittentes habent, pater nuptiis, coemptionator coemptione; hi igitur utuntur plerumque hac mancipationis forma, ut solvatur potestas, et sui juris evadant mancipati. Vid. §. 132. 139. 191. §. 118a.

quod et ipsum jus proprium civium Romanorum est. add. supra §. 55. 108. II. 65. Ulp. Fr. XX, 4. et adn. p. 2. §. 119.

alio eiusdem conditionis. In Epit. I. 63. commemoratur etiam *antestatus* diversus a libripende, quem antiquissimis temporibus fuisse ex Patriciis aut e pontificibus veri non videtur dissimile.

rem tenens. *Res* h. l. est id ipsum quod mancipio datur, persona libera aut servilis, aut animal. Conf. et. II. 24.

mihi emtus — aere aeneaque libra. Haec formulae pars non pronunciatur, ubi agitur in jure cessio II, 24., quod bene tenendum, sed in testamento per aes et libram II. 104.

emtus est. Malim *esto* argumento locorum in II. 104. et III. 167 ubi eadem formula.

Quo in numero habentur boves. Add. Fr. Vat. §. 259. §. 120.

praedia — Italica. Ulpian. Fr. XIX.? *praedia in Italico solo.* Opponuntur in Fr. Vat. l. l. *praedia stipendiaria* et *provincialia;* sunt tamen etiam in provinciis praedia Italica id est, quae utuntur jure Italico.

Praedia absentia. *Absens* h. l. dicitur de re inmobili, quae non potest adferri, sed ad quam eundum est, aut unde aliqua pars veluti de fundo gleba, sumebatur, et in jus adferebatur, ut usu veniebat in vindicatione fundi (vid. IV, 16.) in mancipatione vero ejus non requirebatur, utpote quae vel in remotissimis a praedio mancipando locis recte celebrabatur. §. 121.

olim aereis tantum nummis utebantur. Cf. Varro, de §. 122.

lingua Lat. V, §. 173. et Liv. Hist. IV, 60., quos laudat Niebuhrus, Hist. Rom. I, 477. add. Plinius Nat. XXXIII, 3.

nec ullus aureus vel argenteus nummus in usu erat. Notabilis est hic locus, et in controversia de usuris lege XII Tabb. non negligendus. Declarat autem paupertatem populi Romani moresque incultos, ineunte etiam quarto post U. C. seculo. Conf. porro Livius ll. et Dion. Halic. X, c. 17.

sicut ex lege XII Tabb. Significat Gaius maxime eos in XII Tabb. locos, ubi agitur de mulcta pecuniaria. Add. IV, 13. Gell. N. A. XX, 1.

nummorum vis ac potestas. Verba *vis ac potestas* eleganter a Gaio usurpata de nummis satis declarant argutias eorum, qui in definitione tutelae, in L. 1. D. de tutelis, verba *vis ac potestas* ad vivum resecarunt. Ulpiano Fr. XXIV, 15 etiam inserendum est vocabulum: *vis* ut recte Lachmannus ll.; laudat etiam Gaius in L. 1. D. de nox. act. actionum quarumdam *vim ac potestatem* et Celsus in L. 17. D. de legg. *legum vim ac potestatem.*

Quod de vocibus *asses* et *pondus* (a verbo *pendere*) et *dipondius* animadvertitur, hoc etiam usu venit in verbis *inpendia, pensus, dependere, adpendere,* quod adhuc retentum est, quum propriam suam vim ac potestatem jam dudum amisisset, unde *adpendere* interdum valet: *solvere.* Idem dicere licet de *compensare* et *compensatio.*

Et ad. Huschkius: *et adhuc appellantur.* Quod profecto facilius est intellectu, quam *ad onera adhibet* aut *ad onera advocati.* Mirum autem, Gaium hoc addidisse, nam vocabulum *dispensator*, ut ipsum verbum *dispensare*, frequentissimi semper usus mansit. Vid. III, 160. et L. 24. D. de man. testam. *stipis ponderandae pensatores* inquit Plinius ll., *libripendes dicuntur.* An inde proficere possumus ad restitutionem hujus loci, docuitque etiam Gaius dispensatores adhuc appellari libripendes? suntne *appendere* et *dispensare* tam arcte conjuncta, ut Gaius hic videtur velle probare?

Docetur differentia coemptionis et mancipationis, conff. §. 123.
interpretum conjecturae in notis.

servilem conditionem. Non pertinet ad mulierem, quae per coemptionem venit in manum, quippe quae non incidit in servilem conditionem; potest igitur e coemptionatoris testamento capere, etsi non jubeatur esse libera.

mancipati — servorum loco constituuntur. Add. III, 114.

a parentibus vero — mancipatae. Harum igitur conditio, quippe servilis, multo inferior est.

sicuti juris est in persona servorum. Significat Gaius ea tempora, cum heredis servi institutio nondum tacite continebat manumissionem ipsam. Add. Plin. Epp. IV, 10.

iisdem verbis mancipio accipiantur, quibus servi. In verborum igitur diversa formula spectata fuit vis differentiae *manus* et *mancipii.* In mancipatione servorum et filiorumfamilias pronuntiabantur verba in §. 119. a Gaio commemorata.

quod non similiter fit in coemptione. Nimirum in hac non ejusmodi verba, quae servilis conditionis argumentum sunt, usurpantur, neque usurpari possunt, quia mulier ipsa facit coemptionem seque tradit in manum; filius vero et servus etiam inviti mancipio dantur. Quaerere autem licet, an mulier, quae, postquam coemptione in manum venit, fiduciae causa vindicta manumitti debet, (§. 114), ut sui juris evadat, dici non possit in servilem conditionem fuisse deducta.

Et h. l. stylus scribendi ostendit doctorem prima ele- §. 125.
menta artis tradentem. Add. §. 142. — 127.

cui — aqua et igni interdicitur. Add. §. 161. Poena anti- §. 128.
quissima tum recte usurpata, cum urbis terminis inperium finiebatur; remansit autem, damnatique ab urbe tantum recedere coacti, ut Oppianicus in Orat. Cicer. pro Cluentio, c. 63.; amittebant tamen omnia civitatis jura, etsi non in alienam civitatem se contulissent, Augustus prudenti con-

silio istiusmodi hominibus certum designavit locum, in quem deportarentur, Dio Cass. ll. XV, 20. et XLVI, 27. unde deinde factum, ut deportatio fere exceperit ipsam poenam et nomen interdictionis aqua et igni; quo pertinet Instt. I, 12. §. 1. et I, 16. §. 2. Constantinus autem in L. 24. Cod. de don. int. vir. et ux. diligenter distinguit: *aqua et igni interdictum, vel deportatio illata.*

Maleficium et lex poenalis, eximie dicuntur de delicto, quod lege judiciorum publicorum punitur.

nec enim ratio patitur. Late patet h. l. vocis *ratio* potestas. Significatur juris Romani indoles et elegantia, qua ipsum sibi mirifice constat. In Instt. Just. haec juris ratio non tam perspicue significatur, quam in paraphrasi Theophili.

§. 129. *ab hostibus captus.* Florentinus etiam et Marcianus et Ulpianus in libris Institt. eundem locum tractant, et doctius illustrant; ut ipsae quaestiones ab illis positae declarent, quam diversam a Gaio viam ac rationem instituerint. Gaius magis studuit ei juris interpretationi, quae ex historia et antiquitate esset petenda.

utrum ex hoc tempore — dubitari potest. Gaii aetate adhuc agitata interdum videtur haec quaestio in scholis Jureconsultorum, nam Julianus Hadriani aequalis jam in L. 22, §. 2. D. de captiv. non dubitaverat adfirmate dicere: *existimatur — patre mortuo tunc paterfamilias fuisse, cum pater ejus in hostium potestatem perveniret.* Add. Epit. I, 6, 2. et L. 15. D. de suis et legit. Quae sit quaestionis gravitas, eleganti exemplo docuit Theophilus, qui omnem hunc locum perspicue exponit.

pristina jura recipiunt. Quae vero in facto consistunt, non recipiunt. L. 19. D. ex quib. caus. maj.

§. 130. *Praeterea exeunt.* Recte *Praeterea;* nam exeunt etiam sine capitis diminutione supra laudati liberi mortuorum apud hostes. Add. L. 3. §. 4. D. de Scto Maced. Ut *exeunt de*

potestate, sic mancipantis est: *dimittere e suo jure.* Vid. §. 118a.

Flamines Diales inaugurentur — virgines vestales capiuntur. Ergo non Martiales et Quirinales, supra laudati §. 114? Etiam in III, 114. hi non memorantur.

inaugurari et *capi* sunt verba solennia hac in re. Quod tempus praesens usurpat Gaius, argumento est, veterem morem capiendi virgines, nondum prorsus neglectum fuisse.

qui jussu parentis. An potuit filius vel invitus jubente patre exire de potestate et in coloniam mitti? §. 131.

colonia Latina est regio in agro Latino, in quam coloniae deducendae causa cives Romani civitate cedentes se contulerant. Factos hos esse e civibus Latinos, docet Gaius III, 56., conf. autem Cl. Madvig. in disput. de jure et condit. coloniarum Pop. Rom. Opusc. p. 284.

Lex XII. — his verbis: SI PATER VENUM DABIT. Cicero etiam de Orat. I, 41. et in Orat. pro Caecina, c. 34. utitur verbo *vendere* de filiofamilias; adde exemplum in L. 39, §. 3. D. de eviction. et in L. 1. C. de liber. caus. Paulus R. S. V, 1. proximam causam inpietatis tribuit egestati. add. L. 2. C. de patrib. qui lib. A Graecorum moribus abhorrebat hoc vendendi et mancipandi jus; sed non a Latini nominis sociis, vid. Livius Hist. XLI, 8. cui tamen venditioni suberat causa politica. Cujacius ad Paulum ll. excitat leges Moscoviae, in quibus patri jus tribuitur quater vendendi filium. Significata igitur est in XII. Tabb. vera venditio, in qua cernitur summum jus patriae potestatis, sed temperatum idem commemoratione libertatis, quam ipso jure ter venditus est adepturus. Atque ad hujusce legis sententiam, vel Jcti vel ipsi mores et consuetudo finxisse et confirmasse videntur emancipationem, qua per trinam istam venditionem, quam XII. jubent, repetitam, non serio, sed imaginarie filius vel uno actu et uno die dimitteretur e potestate (vid. §. 141.); quare si dicere licet, Gaius et

Ulpianus (Fr. XI.) minus apte in tractatione loci de emancipatione excitant legem XII. de una mancipatione; neque obstat, ut nobis videtur, locus in IV, §. 79.

una mancipatione. Nam in filiabus ab omni republica remotis et in liberis secundo gradu positis non tanta cernitur vis patriae potestatis, atque eadem sexus differentia observabatur in exheredatione, II, 223. 224. et in successione ab intestato III, 14.

eaque res ita agitur. Ritus mancipationis, qualis in §. 119. describitur, hic etiam adhibendus est. De vi conjunctionis *ita* monuimus supra.

mancipat pater — alicui. *Mancipat*, sive mancipio dat, IV, 79.

alicui, quem Theophilus ad h. l. Institt. *μέσον τινὰ* vocat, in Epitome I. 6. §. 2. rectius, *patri fiduciario, qui mancipio accipit lege manumittendi.*

vindicta manumittit. Est enim in causa mancipii, servi loco habetur, §. 140.

eo facto revertitur in potestatem patris. Mirum videri potest, facto vindictae, quae libertatem et suum jus efficit, manumissum reverti in potestatem, nam si pater mancipio dedit ea lege, ut sibi remancipetur, non vindicta erit adhibenda, sed denuo mancipatio. Theophilus Institt. I, 12, 6. scribit filium vindicta manumissum tacita quadam ratione recurrisse ad patrem: *σιωπηρῷ τινι λόγῳ ἀνέτρεχεν εἰς τὸ τοῦ πατρός.*

eum iterum emancipat. *Is* est h. l. pater naturalis, modo is significabat patrem fiduciarium. *Iterum* sive rursus mancipare est patris naturalis; *remancipare* est fiduciarii, qui restituit patri naturali.

qui mancipio dat eidem vel alii, sed in usu est, eidem. Non sufficit, filium tres subiisse mancipationes, sed ab ipso patre ter mancipio detur necesse est. Remancipationes non computantur, nec refert, utrum ter eidem

an diversis personis filium mancipio det. Novus identidem est actus, de quo satis constat testibus adhibitis.

in usu est. Hoc est, magis observatur hic, quam alter modus. Alia est vis vocis in §. 112.

similiter vindicta. Eadem hic oritur difficultas de vi et effectu admirabili *vindictae*, neque eam tollit, sed multo magis auget Theophilus, quum dicit: filium denuo arcana ratione ἀρρήτῳ λόγῳ reverti in potestatem patris. An locus sic intelligendus est: interposita fiducia mancipio accipientem manumisisse quidem apud Praetorem, patrem vero naturalem ibi praesentem vindicasse filium in potestatem?

desinit in potestate esse etiamsi — adhuc in causa mancipii. Jam ter venditus a patre quidem naturali liber est, sed non a patre fiduciario, qui hunc jam antea bis venditum in tertia tenet mancipatione sive in causa mancipii. Ab hoc igitur nunc manumittendus est; nam solent cogi actione ex contractu fiduciae, uno ex iis modis, quos significat §. 140., et quidem eo, qui semper potest adhiberi, nempe vindicta, cujus tertiae per vindictam manumissionis jam non amplius is erit effectus, ut revindicet pater, qui tribus mancipationibus amiserit omne jus ob verba legis: *si ter venum dabit, filius liber esto*, sed ut sui juris evadat; nisi dicat aliquis, hic obstare, quod emancipatus non recta via a patre ipso sed a patre fiduciario liberetur potestate; at pater tamen identidem singularum mancipationum auctor fuit, et quum ultimae huic vindictae certissime aderat, etiam ipsius manumissionis verae;

Traditur in Epitome II. patrem naturalem id agere debere, ut fiduciarius remancipet patri, isque ipse manumittat, ne in hereditate filii pater fiduciarius succedat loco patris naturalis; at non intelligo, qui filius hicce liber a patre possit denuo ab hoc emi, cui non amplius veluti

in commercio est, et ita adquiri, ut jure potestatis emancipetur ab eo, qui jam desierat illum habere in potestate.

in causa mancipii. Sequitur igitur posse filium esse emancipatum ratione patris, in mancipio vero adhuc esse ratione fiduciarii, qui nondum ipsum manumiserit.

§. 134. *duae — manumissiones proinde fiunt, — ac cum — pater — dimittit.* Nimirum si adoptio, quae est alius modus solvendae potestatis, fit imperio magistratus, veluti Praetoris, filius ter a patre mancipatur, et ut tres mancipationes sic etiam tres intercedunt manumissiones.

deinde aut patri remancipatur — aut jure mancipatur patri. Duplex forma significatur hoc loco enucleatu difficiliori. Vide etiam finem hujus §.

deinde. Hoc est post duas intercedentes manumissiones, postquam pater naturalis iterum mancipio dedit, et pater adoptans iterum remancipat.

vindicanti filius addicitur. Vindicans est adoptans, qui coram Praetore, praesente patre naturali et filio ejus bis mancipato, hunc manu tenens vindicat in suam potestatem solenni formula, quae est in libro II, 24., usus. Potuit quidem pater naturalis contra vindicare, sed dicendo se nolle et tacendo et jure suo cedendo patitur filium hac tertia vice in mancipium dari, atque adeo de potestate sua exire.

addicitur. Est vocabulum hac in re legitimum, vid. etiam II, 24. sed minime eo sensu accipiendum, ut infra addictio in III, 189. Si quaeris, quomodo nunc distinguatur adoptans ab eo, qui in mancipio habeat, ut in §. 140., diversitas formulae in §. 117. et II, 24. satis distinguit et diversum jus significat. Adoptans hic non emit, ut mancipio accipiens, sed vindicat ut pater potestatem habens sibi per in jure cessionem adquisitam.

aut jure mancipatur patri. Huschkius conjiciendo supplet: *adoptivo vindicanti filium ab eo, apud quem is in tertia mancipatione est.*

In mancipatione emancipandi causâ videmus in usu quidem magis esse et observari solere, ut idem identidem mancipio accipiat et remancipet, sed posse tamen patrem diversas mancipationes cum diversis celebrare personis. Idem juris h. l. In superiore adoptionis forma adoptans solus prima bima vice mancipio accipit. In hac vero altera forma accessit tertia persona ejus, cui pater bis remancipatum filium mancipavit et sic e suo jure dimisit. Ab hoc igitur patre propter fiduciam fiduciario, apud quem filius in tertia mancipatione est, adoptivus nunc vindicat haud secus atque in superiore forma a patre ipso non contra vindicante et jure suo cedente.

sed sane commodius est. Quia non requiritur interventio tertiae alicujus personae.

aut remancipantur parenti. Supple ex superiore: vindicare deinceps eum, qui adoptat, apud Praetorem. *Parens* tantum de patre naturali potest usurpari; *pater* etiam de adoptivo.

eadem et in provinciis. Utraque nempe forma adoptionis tum ea quae fit per remancipationem, tum quae per in jure cessionem.

Non pertinet ad locum de adoptione filii, nec de emancipatione aut noxae datione ejus, sed ad veram venditionem sive pretii capiundi, sive alius rei gravioris sic contrahendae causa factam, ad cujusmodi mancipatorum conditionem etiam referendum arbitror II, §. 90. 96. 140. 160. III, 6. nec brevis spatii tempus hic cogitatur; hoc attingit propterea ut doceat, quam late pateat jus potestatis avorum in nepotes, quando quaeritur de iis aut emancipandis aut in adoptionem dandis. §. 135.

post tertiam mancipationem. Postquam pater illum

ter venum dedit, filiusque manumissus ab eo, in cujus mancipio est, liber est, sive sui juris.

nascatur. Conditio igitur infantis hic non pendet a natalibus, sed a conceptione secundum regulam in §. 89. in fin.

at is. At non adeo contradicentis est, sed contrarium superiori exemplum opponentis.

in tertia mancipatione. Quum ter jam mancipatus a patre adhuc in mancipio est apud eum, cui pater mancipaverit, quaerere licet, an uxor maritum filiumfamilias sequi aut potuerit aut debuerit?

non nascitur in avi potestate. Nam quum ille concipiebatur, avus jam in filium ter a se mancipatum omne jus patriae potestatis amiserat.

sed eum Labeo quidem existimat. Quod sibi informavit h. l. exemplum Labeo, continet certe decem mensium spatium; nam uxor, dum in mancipio est maritus, et ex eo concepit, et peperit. Pro *sed* malim *et.*

in ejusdem mancipio. Nascitur igitur, secundum Labeonem, servilis conditionis. De potestate non potuit cogitari, quum pater ipse non esset in potestate.

pendeat jus ejus. Et patris potestas in suspenso est. Itaque interea non est, neque in mancipio mancipatoris, neque in potestate patris, qui, dum servi loco est, non potest habere potestatem.

pater ejus — cadit in ejus. Gaius anxia diligentia quinquies repetit pronomen personale *is*, sed prius tamen *ejus* referendum est ad filium, alterum ad patrem. An ad exemplum filii inpuberis patris captivi ei interea tutor fuit datus?

sui juris fit. Etsi avum adhuc superstitem habet. Ceterum haud multum dissimil s quaestio etiam ipso jure Justinianeo usu venire potuit in emancipatione filii uxore praegnante, vid. Institt. I, 12, 9.

Quaeritur, an filiae nepotesque potuerint in hujusmodi esse mancipio diuturno, atque h. l. significatur.

ut supra diximus. Vid. §. 132., quamquam ibi agitur de mancipatione emancipandi causa, quo etiam pertinet §. 141.

fecerit. Nempe coemptionem, sine qua mulier, quae in manum convenit, non exit e patria potestate. §. 136.

Maximi et Tuberonis. Significari videntur Quintius Aelius et Paulus Fabius quos sine agnominibus Tuberonis et Maximi laudat Dio Cassius ll. (LIV. c. 32.) Consules (A. U. 743.) Augusto auctores fuisse videntur, ut ex difficultatibus caeremoniarum in nuptiis Flaminum aliquid remitteret.

ad sacra tantum videatur in manu esse. Nempe quae per confarreationem in manum venit Flamini majori, Vid. §. 112. sacrorum tantum causa in ejus potestate est.

quod vero ad cetera perinde habeatur atque si in manum non convenisset.

Hoc est, quod Tacitus Annal. IV, 16 docet, nova lege, regnante Tiberio fuisse cautum, ut Flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera promiscuo feminarum jure ageret. Quaerere autem licet, quae fuerit efficacitas hujusce potestatis mariti in sacris conspicuae.

viri sui — aut extranei. Id est, aut matrimonii aut fiduciae causa. At non intelligo, qui quaeri possit de soluta patria potestate in ea, quae fiduciae causa coemptionem fecerit; nam haec non nisi sui juris potest esse, quum fiduciae causa in manum extranei conveniebat, tutelae, sacrorum, testamenti cogitatione commota. §. 137.

an — aut. Pro *utrum — an.*

patrem potest cogere. Utpote in cujus potestate est.

Proinde et *perinde* in §. 136. promiscue usurpatur.

repudio misso. Qua ipsa in re cernitur discrimen manus, in qua sunt mulieres, et potestatis in qua sunt

filiae etiam adoptivae; *nullo modo* opponitur *repudio misso.* Quaeritur autem, num mulier post repudium missum manum et nuptias ita solutura sit, ut non opus sit emancipationis cujusdam forma solenni? certe vocabulum *compellere* arguit, uxorem debuisse cogere virum, ut aliquid faceret, nec discessionem tabulis repudii datis suffecisse. Quod vero de repudii jure hic tradit Gaius, invaluit moribus, conformatumque est legibus quas Gaius universe significat in L. 43. D. ad Leg. Jul. de adult., non venit ex legibus XII. Tabb., nec Ciceronis locus in Oratt. Philipp. II, 29. recte laudatur.

§. 138. *servorum loco habentur.* Haec igitur dictio aliaeque similes: *servorum loco constitui*, *in servitute esse*, *servus fere esse*: *tamquam servus esse*: *servili conditione uti*: *servire*, quando opponitur: *servus esse*, ut apud Quintilianum Institt. Orat. V, 10. 60., significant statum diversum a servitute justa; itaque quod ad jus civitatis publicum non servi sunt, nec leges de servis datae ad illos pertinere possunt, quamquam illis interea non licuisse videtur venire in comitia aut judices sedere in judiciis, aut testes esse in testamentis. Huc etiam nobis referendi esse videntur *auctoratus* et *judicatus* in III, 199. An etiam redemtus ab hostibus pretio redemtionis nondum soluto ob L. 20, §. 1. D. qui testam. fac. L. 43, §. 3. D. de Legg. 1°. et L. 7, §. 20. Cod. de postliminio? Ceterum adquirunt proprietatem mancipatori, ut servi domino, II, 86. 96.; de possessione vero, an adquirant, dubitatur, §. 89. 90.. quoniam ipsi non possidentur, conf. II, 94. sed quum istorum nihil suum esse possit, etiam in jure nihil iis ceditur.

censu libertatem consequi. In his inprimis usu venire potuit quaestio, quam ponit Cicero de Orat. I, 40. de efficacitate relationis in tabulas censorias. Conf. §. 17.

testamento. Quid si in illo scriptus est heres? liber-

tatem denuo nactus utitur beneficio abstinendi II, 160. At fac istum discedere intestatum, quae erit personae in mancipio conditio in morte mancipatoris? Animadverte laudari hic tres illas solennes manumittendi formas, quibus manumissi civitatem nanciscerentur.

manumissi sui juris fiunt. Dati igitur mancipio sine lege remancipationis non revertuntur in patriam potestatem, siquidem eos manumittit mancipator, atque haec est manumissio, quae non officit natalibus.

nihil requirimus, cujus aetatis sit. *Nihil* h. l. significat: prorsus non; nisi malit quis interjicere *nec*, ut sit: *nec cujus aetatis — ac ne illud quidem.* §. 139.

ac ne illud quidem — ac ne numerus quidem, et mox *ac ne is quidem, ac ne diu quidem.* Ingrata auribus accidit haec repetitio, et auctoris in scribendo negligentiam arguit, qui ut forte incidit in aliquam enunciationem, eam non dimittit.

patronum creditoremve. Conf. §. 37.

numerus legis finitus. Hoc est, definitus numerus legis sive constitutus lege certus modus in servis testamento manumittendis, ut est in §. 42.

Quin etiam invito quoque eo. Animadverte vim utrinsque conjunctionis *etiam*, et *quoque* diversam. Conf. infra §. 145. ubi *etiam* bis in eadem enunciatione, sicuti *quoque* supra §. 129. Ulpianus Fragm. XI, 20. *etiam* et *quoque* conjungit. §. 140.

invito eo censu libertatem consequi possunt. *Libertas* h. l. latius patet et etiam adcommodatur in eos, qui etsi non desierunt esse liberi, II, 60., tamen propter conditionem servilem libertate caruisse existimantur. Apud Ciceronem in Orat. pro Caecina c. 33, *libertas* non opponitur servituti, sed eximie usurpatur de jure Quiritium. Locus hic tantum pertinere potest ad eos, qui *jure mancipantur* in §. 132.

Describitur autem a Gaio triplex mancipatio: vera, quae solvitur censu: imaginaria, quae fit lege remancipandi emancipationis gratia, denique: noxiae causa facta mancipatio.

dicitur invito eo consequi. Displicet *dicitur;* sensus loci postulat: *potest*, aut post *consequi; posse.*

velut qui furti. An *quum furti?* nam praecedit vox *pater*, et sequitur: *eum.*

mancipio dedit. An quem ipse habet in mancipio etiam mancipare sive mancipio dare potest ex causa noxali? immo, non potest, quia deëst jus potestatis.

actor pro pecunia habet. Id est, loco litis aestimationis, quam pater debuisset sufferre, si noxae non dedisset, IV, 75.

in eo jure detinentur. Conf. §. 118a.

§. 141. *injuriarum actione tenebimur.* Instituenda ab ipsis mancipatis, qualis actio non datur iis, qui sunt in potestate, ne adoptivis quidem. Neque hic opus erat venia Praetoris, ut in emancipatis in foro agere meditantibus, L. 7. §. 3. D. de injur.

§. 142. *transeamus ad aliam divisionem.* Haec est tertia et postrema. Conf. §. 48. et §. 9.

§. 143. *ac prius dispiciamus de his.* Eadem dictio §. 51. et in §. 124. 125.

§. 144. *nubilibus.* Sive quod etiam rectius est: *puberibus*, ut est in Fragm. Vat. §. 229. et in Ulpiani Fr. XI, 1., qui tamen non monet de tutore his dando testamento. In Epitome Gaii nulla est mentio de tutela mulierum.

permissum est. Cf. §. 189.

veteres enim voluerunt feminas — esse. Solenne est *velle*, ubi excitantur veterum sive majorum instituta e moribus profecta et legum praecipientium instar religiose servanda. Sic Gaius ipse mox in §. seq. et II, §. 55.: *voluerunt veteres.* Pomponius in L. 2, §. 6. D. de O. J. *quas actiones ne populus prout vellet, institueret, certas*

solennesque esse voluerunt. Praeivit Cicero in exquisito hujus verbi usu, ab interpretibus, ut videtur, non satis animadverso, veluti in Orat. pro Roscio Amer. c. 52. pro Murena, c. 12., pro Cluentio, c. 48., in Catil. II, 12. 27., pro Caecina, c. 34., pro Flacco c. 7. Oratt. in Rullum, II, 14. 35. de Offic. III, 5. 29. 30. De Legg. I, 21. adde Livium Hist. XXXIV, 2.

feminas etiamsi perfectae aetatis. Significatur aetas duodecim annis major. Adde §. 189. §. 191. In Digestis, ubi vox est interpolata a Triboniano, est aetas 25 annorum.

propter animi levitatem. Magis urbane Cicero pro Murena c. 12.: *propter infirmitatem consilii.* Ulpianus II. *propter sexus infirmitatem et forensium rerum ignorantiam*, ut idem in L. 2, §. 2. D. ad SCtum Vell.; at Gaius infra §. 190. ipsam hanc legis rationem valde ridet. Neque inde repetendum est hoc institutum, sed ex patriae potestatis efficacitate et ex studio conservandae tutelae sive rei familiaris. vid. supra p. 85. Viguit jam antiquissimis temporibus regum, conf. Plutarchus in vita Numae, c. 10. ubi pro προστάτου rectius scripsisset κυρίου. Nec proprium fuit juris Romani, sed in omni fere orbe vetere observatum. De jure Indico conf. doct. Halled in opere Anglice scripto: leges Menou. p. 28. 3. De jure Aegyptiaco inscriptio, quam explicuit Cl. Reuvens, in Epp. ad Ampl. Letronne Ep. 3, p. 9. De jure Attico Plattner ll. II, 275., ubi Gaii locus hicce opportune laudatur, adde tamen §. 189.

in tutela permanet. An permanet in tutela ejusdem tutoris, qui inpuberi datus erat testamento? Non videtur; secus est, si tutore usa est legitimo. §. 145.

tantum enim ex lege — liberantur. Displicet haec enunciatio, quae nullo alio loco usurpatur.

ex lege Julia et Papia Poppea. Confirmatur his ver-

bis et §. 194. locus ille fragmentorum legis Papiae Poppeae, qui est apud Heineccium in Comment., p. 87. Adparet autem Gothofredo rectius cessisse, quam Heineccio in loci istius constitutione. Necessario addendum *legitima tutela*; nam ut a ceteris tutelis, quales §. 194. significat, liberentur, non opus habent, ut quater peperint. Lex igitur Papia Poppea viam quodammodo munivit legi Claudiae in §. 157.

loquimur autem. Sic Gaius quando veluti cavendo antevertere vult exceptionem, quae sibi objici possit. Cf. II, 94. 122. IV, 57. *Loqui* saepe eximie de pronunciatione formulae. vid. II, 119. 121 149.

in honorem sacerdotii. Sic in L. 36. D. de cond. et dem. *in honorem consulatus*, et in L. 2. D. de act. rer. amot. *in honorem matrimonii.* Lectio *in honore*, a nonnullis commendata, vereor, ut recta sit, nam si nobilissimae feminae tantum liberae sunt tutela agnatorum in honore sacerdotii, hoc est, per triginta annos quum munere funguntur, sequitur illas finito honore in agnatorum tutelam rediisse, et testamentum quod jure suo fecerint, (vid. Plutarchus in Vita Numae, c. 10.) irritum fuisse jure civili; add. Gaius II, 118. Eodem jure dixeris restitui in illas patriam potestatem, unde virgines captae ipso jure exeunt, vid. §. 130.

etiam — veteres. *Etiam* opponitur Legi Papiae Poppeae, quae de jure liberorum cavit. De virginibus Vestalibus etiam majores ipsi, in quibus Numa rex et decemviri, jam solliciti fuerunt.

liberas. Eximie dicitur pro: liberatae a tutore agnato. Vid. supra de verbo *liberare.*

itaque etiam lege XII Tabb. cautum est. Docta est et subtilis disputatio Cl. Gratama in Ephem. Jurispr. et leg. lat. III, 275. ad hujus loci verba, quae non referenda existimat ad ea, quae proxime praecedunt, sed ad

principium loci, ut doceat Gaius in XII. cautum esse de tutela filiorum et filiarum etiam puberum. Dubito an recte: *itaque* significat *et ita*, ut in II, 42. *et ita lege XII Tabb. cautum*, add. §. 47. et IV, 19. *nam ita lege XII cautum*. Quorum locorum sensus est, ut voluerunt et praeceperunt veteres, ita etiam cautum XII tabulis saepius mores et instituta et leges regum sancientibus. Scribendi igitur ratio exigit, ut *itaque* referamus ad virgines Vestales. Accedit, quod nimis a Gaii simplicitate abhorret duplicem enunciationem in parenthesi ponere. Denique Gaius solenne hoc: *Lege XII Tabb. cautum* non usurpat, nisi ubi illustriorem locum excitat, ut hic ipse locus aliique modo laudati satis declarant. Adde II, 224.

in patris sui potestatem. Itaque *pater suus* dicitur §. 146. ratione plurium liberorum.

et in hac causa placuit. Hoc est, in hoc etiam casu, §. 147. in hac specie; sic in §. 139.: *in ea causa sint*. Hic *causa* significat: conditionem, statum. Add. §. 138. *in causa mancipii*, et II, 21. *in eadem causa sunt praedia*.

placuit. Quaesitum igitur fuit aliquando in scholis Jctorum.

non minus postumis, quam jam natis. Conf. Fr. Vat. §. 229.; videatur tamen L. 19, §. 2. D. de test. tut. L. 24. D. de tut. act. contr. L. 29. D. de neg. gestis.

si modo — sint. Conditionaliter, ut multis aliis locis, construitur tum maxime cum conjunctivo, qui etiam restituendus est II, 52. In II, §. 1. *modo* adverbium tempus praesens; in II, §. 156. tempus praeteritum significat.

hos etiam heredes. Pertinet *etiam* ad heredes, et ut illos heredes, sic etiam exheredes scribere licet II, 130.

extraneos postumos. Cf. II. 242. Est enim incerta persona.

quae in filii manu est. *Manus* igitur etiam pertinet §. 148. ad filiumfamilias; habet hic manum in uxorem, etsi illa

secum est in potestate patris. Si prior moritur, remanet vidua in potestate soceri, qui ei in testamento recte dederit tutorem. Conf. adnot. p 84. II, 139.

§. 149. *rectissime.* Hoc est, si utitur formula *do*, optimam tenet jam formulam, nam DO hic est verbum solenne, vid. §. 144. §. 151. §. 152. et Brisson. de Formulis, VII, 50. *dat* autem scribendo: hinc *scribere tutorem* Cicero pro Cluentio, c. 12. c. 14. Quodsi idem etiam heres scribitur, probata videtur formula: *tutorem instituo*, quamquam etiam simpliciter recte est, ut Livius de Tarquinio, I, 34. *postremo tutor liberis regis* [Anci] *testamento instituerctur.*

Tutor esto. Formula haec quamvis recepta, propterea minus accurata esse videtur, quia sic loquitur ipsa lex XII. Tabb. in tutoribus legitimis qui *sunt.* Conf. §. 155. Etiam in optione solenne est: *dare.*

Videtur lex Atilia de industria vocem transtulisse ad Praetorem et Tribunos, ut hi patris instar dicerentur *dare*; quam anxie vero interdum haeserint voci: *dare*, arguit L. 33. D. de test. tut.

§. 150. *in persona uxoris.* Quare non in persona filiae aut nurus? nimirum filia sui juris facta nihil non faciet, ut nuptiis liberetur a tutore; maritus vero hac optione vult, quantum potest efficere, ut uxor vidua maneat.

recepta est. Itaque non venit ex lege aliqua, sed convaluit usu fori, suadente contra summum jus utilitate; quo sensu etiam vocabulum *receptum* usurpat Gaius. II, 44.

Mirum est, Ulpianum, cujus Fragm. Tit. X^us^ saepius verbotenus convenit cum Gaio h. l. nullam facere mentionem optionis.

in omnes res. Ad rem igitur gerendam non ad personam tuendam datur. Adde §. 176. *res* autem intellige singula negotia, velut testamenti factionem, venditionem, emtionem, dotis dationem, hereditatis aditionem, in qui-

hus opus est tutore auctore; add. §. 192. et omnino Ulpian. Fr. XI, 27.

ceterum. Gaius saepe utitur in ipso principio loci, §. 151.
Vid. §. 54. II, 43. 181. III, 35. IV, 74. quando absolvit locum, in quo versatus est.

plena optio datur. Nimirum quo major erat metus, ne legitimus tutor aliquando ad uxoris tutelam accederet, eo pleniorem dedisse videtur uxori optionem. Nec patet, ex SCto de Bacchanalibus demum venisse hoc optandi institutum, nam apud Livium XXXIX: 19 libertinae mulieri pro privilegio datur jus optandi ad eum nempe modum, quo mariti in testamento uxoribus ingenuis tutoris optionem dare solent.

ut proxime, ac supra diximus. Rectius *proxime*, §. 152.
quod Gaius toties usurpat in Lib. II.; dictionem ipsam defendit Huschkius ll. p. 220.

ac supra. Significat non tantum prope abesse locum, sed modo traditum.

et saepius tutorem optare. Quotiescumque necessitas §. 153.
suadet. An opus habebit coëmptionis ritu aut magistratus confirmatione? non videtur; nec locus Ciceronis pro Muraena, c. 12. hancce tutoris optionem, ut vult Heineccius, in Comm. ad leg. P. P. p. 287., spectat, sed coëmptionem tutelae evitandae causa factam.

plenam — angustam habet optionem. Plena est, quae nullis: *angusta*, quae certis finibus est circumscripta.

duntaxat. Hoc est, *non amplius quam*; aliquando etiam significat contrarium: *non minus quam*, veluti in L. 202. D. de V. S.

tutores dantur. Nempe uxori *dat* testator, *sumit* op- §. 154.
tans; *optivus* hac potestate alibi non venit.

datus — sunt. Haec opponuntur. Ad agnatos ipsa §. 155.
lege venit tutela, hi jure *sunt* tutores, siquidem pater non dederit.

legitimi. Eximie sunt ii, qui ex lege XII. Tabb., veniunt. vid. Ulpian. XI, 3. Hi igitur suo jure sine magistratus auctoritate accedebant ad tutelam, secus ac jure Attico, quod noluit, deficiente tutore testamentario, aliquem ex cognatis suscipere tutelam, nisi ab Archonte datum. Adquisitam igitur habent tutelam, ut jus quoddam, (L. 1. pr. de D. leg. et tut.) non uni, sed omnibus eodem gradu agnatis tributum, et a cujus juris usu sola testatoris summa voluntas privare potuit e lege XII. Tabb.: *uti legassit.*

§. 156. *eodem patre.* Fratres uterini sunt cognati; ceterum repetit fere hunc locum Gaius III, 10.

cognatione junguntur. In III, 24.: *necessitudine*, quod vocabulum etiam usurpatur de cognatis.

alius naturali jure cognati. *Alias* id est: aliter, alia ratione.

amitae, materterae filius. Non recte a Gaio conjunguntur; *amita* ipsa est agnata filii fratris sui, ut ejus filius est ei cognatus; *matertera* vero ipsa jam est cognata sororis filii. An vox *amita* rejicienda ad superiora: *patrui filius et nepos ex eo et amita?* et hic: *item matertera et amitae filius.?*

et invicem scilicet ego illi eodem jure conjungor. Amplificando recte explicat Theophilus: *scito, quam quis cognationem adversus me habet, eandem et me obtinere adversus illum.*

familiam, hoc est, agnationem. Soli agnati possunt esse auctores domuum, familiarum, gentium.

§. 157. *quantum ad legem XII. Tabb.* Sunt haec veluti explicatio vocis *legitimus* in §. 155. et opponuntur verbis sequentibus: *lex Claudia.*

etiam feminae agnatos habebant tutores. In §. 144. docuerat Gaius: feminis etiam perfectae aetatis dari tutorem. In §. 155. accedit ad aliud tutelae genus legi-

timum, in quo iidem sunt, qui in §. 144. significantur, utriusque sexus impuberes. Ne vero quis putet, hanc non, ut testamentariam, etiam pertinere ad feminas puberes, addit veluti admonens: lege XII. in tutela legitima idem accidere, atque in tutela testamentaria, nimirum, postquam ambo ad pubertatem venerint, filium desinere habere tutorem, filiam vero in tutela agnatorum permanere.

lex Claudia lata est. Usurpantur verba legitima: *lex* et *ferri* de Caesaris constitutione. Sic Tacitus, Annal. XI : 13. *Claudius lege lata saevitiam coërcuit*, quin Callistratus JCtus, qui sub Alexandro Severo floruit, scribit: *lege — quam Divus Nerva tulit.* vid. L. 3. §. 1. D. de termino moto. In L. 7. D. de cap. min. *novae leges* sunt Senatusconsulta. Ceterum apta est haec lex Claudii edicto ejusdem de intercessione mulierum, in L. 2. D. ad SCtum Vellejanum.

lex tutelas sustulit. Non tantum his verbis, sed praesertim §. 171. omnis tollitur dubitatio de necessaria lectione: *sustulit* apud Ulpian. Fr. XI. §. 8.

tutelas — sustulit. Vox *tutelae* in plurali numero minus late patet, quam in singulari numero *tutela*. Significat varia ejus genera; hinc inscriptio tituli Dig. in L. XXVI. 1. de *tutelis*; adde L. 7. de capit. min. Malim legere *eas* aut *illas* quam *agnatorum* ob verba Ulpian. ll. *feminarum tutelas*, potestate significandi passiva.

Nec tamen lex Claudia jus mariti sustulit dandi testamento tutorem mulieri, quae in manum convenit, aut jus patris tutorem dandi filiae nubili; nec minus integram reliquit patronorum et parentum tutelam in §. 172.; vetuit tantum lex Claudia, agnatos, ut in XII. erat cautum, ipso jure mulieris sive inpuberis sive puberis esse tutores. Post hanc igitur legem non amplius necessaria fuit coëmptio, ad quam confugere solebant mu-

8

lieres tutelae agnatorum evitandae causa.

feminae. Tam inpuberes, quam puberes.

§. 158. *sed agnationis quidem jus perimitur.* Id est, civilis ratio, quae ex cognatione per virilem sexum vim habet insignem in confirmatione variarum juris civilis partium, praesertim earum, quae ad familias pertinent. In III. 51. jus agnationis vocatur legitimum jus. add. L. 8. D. de R. J.

jura corumpere. Id est, rumpere, perimere, tollere, bono sensu. Add. §. 163. III, 221. L. 8. D. de cap. dim., ubi Gaius eandem habet sententiam. Add. L. 12. D. de damno infecto, L. 33. D. de nox. act., L. 9. pr. D. de lib. caus.

§. 159. *prioris capitis permutatio.* Idque in deteriorem conditionem. Niebuhrus Hist Rom. I, 605. *caput* accipit de rubrica in tabulis censualibus, ubi nomen et possessiones inscribebantur; quodsi verum est, *minor* multo rectius est quam: *media.*

minor, quam quidam mediam vocant. *Quidam* sunt certi JCti, quos Gaius reprehendit, Paulus vero in L. 11. D. de cap. dim. et Ulpianus Fr. XI, 12. secuti sunt. Gaius usurpat *minor* ratione habita majoris capitis diminutionis. Qui una voce *magna* comprehendunt utramque capitis diminutionem, quae aut libertatem aut civitatem adimit, ii etiam voce *minor* utuntur ratione habita *magnae*, significantque *minimam.* In §. 163 vox *majores* utramque continens maximam et mediam, opponitur *minimae.* Vid. L. 1. §. 4. D. de suis et legit. et L. 1. §. 8. D. ad Sct. Tertull.

§. 160. Eruerunt interpretes e lacuna verba haec: *quod evenit in his.* Nonne ob concinnitatem rectius erit: *quod accidit in his?* propter ea, quae praecedunt.

qui ex patria. Ad conciliandam conjecturam *aguntur* laudatum vidi locum Taciti, Annal. XVI, 20.: *agitur in exilium;* at non crediderim, Gaium, qui mox de aqua et igni interdictione loquitur, hic exilium retulisse inter

poenas. Apud Ciceronem l. l. sermo est de exilio, non tamquam supplicio, sed perfugio portuque supplicii; neque is, qui in exilium agitur, amittit civitatem. An latet exemplum de liberto ingrato in patronum, qui redigitur in servitutem, quâ de re jam cavisse videtur Lex Aelia Sentia in L. 70. D. de V. S? certe in Institut. tit. de cap demin. §. 1. hoc exemplum adfertur, cui additur illud de iis, qui ad pretium participandum se venundari passi sunt; respexitque fortasse Gaius haec varia exempla quum in L. IV: 77 loquitur *de quibusdam casibus* in *primo Commentario*, ubi paterfamilias servus tuus esse coeperit, quod etiam pertinet ad mulierem in Scto Claud. cum servo invito domino coeuntem. conf. supra p. 80.

item feminae. Malimus legere: *item mulieribus*, *quae* quod vocabulum eruatur ex inepta voce: *libera*.

aquâ — interdictum. Vid. de hac poenâ §. 128; aliud laudat exemplum III, §. 56 cui adde Cic. Orat. pro Caecinâ c. 33. §. 161.

sed status hominis commutatur. Status h. l. eximie status est familiae privatus, quo quis pater filiusve familias est. In tit. D. de statu hominum, multus est sermo de his, qui ita nascuntur, ut sint liberi et participes juris familiae. §. 162.

commutatur. Hic tantum commutatio status privati locum habet per deductionem in imaginariam servilem causam. In majoribus diminutionibus est *amissio* et quidem status libertatis aut certe civitatis.

quae coëmptionem faciunt. Jam in sup. adn. ed. commendabamus: *quae*; vide §. 112; cet. add. III, 82. IV, 38.

mancipio dantur, *quique ex mancipatione manumittuntur.* Significat Gaius solos emancipatos e potestate patris, non manumissos e mancipio; quia servorum loco habiti sunt. §. 138.

§. 164. In lacuna latet locus de tutela gentilium. vid. III, 17.

§. 165. *crediderunt veteres, voluisse legem.* Hoc est, persuaserunt sibi vetusti interpretes legum XII. Tabb., argumentis ex analogia petitis, *voluisse* legem, hoc est, legis mentem, sententiam, consilium fuisse. Opponitur *jusserit* hoc est: quod disertis verbis lex praeceperit et velle se declaraverit.

§. 166. *exemplo patronorum etiam fiduciariae tutelae receptae sunt: eae enim tutelae scilicet fiduciariae vocantur proprie quae ideo nobis competunt.* Sic egregie textum constituit Böckingius.

exemplo patronorum. Nempe tutelae patronorum, qui ipsi *non propalam*, ut ait Ulpianus, *ex XII. Tabb. sed per consequentiam introducti sunt.* Vid. Fr. XI. 1.

fiduciariae. Conf. §. 115. et 134, quippe derivata vox a fiducia, quae est contractus bonae fidei (IV, 62), quem de manumissione mancipati et de tutela cum patre iniit mancipator idemque manumissor, cujus fidei hoc onus committitur, quique ipse se submittit, nullum inde jus consecuturus, quale tutores legitimi et patroni habent, veluti succedendi ab intestato; add. §. 172. ubi etiam aliud genus fiduciariorum significatur.

liberum caput. Latius patet vis vocis quam in definitione tutelae Institt. Opponitur servili capiti quod jus non habet, minui potest L. 3. §. 1. D. de cap. min. Apud Ulpianum Fr. XI, 5. et Theophilum Inst. I. 19 eadem est vocis potestas.

§. 167. *sed Latinarum.* In his igitur cessat regula, quam fundaverant veteres de tutela ad eos pertinente, ad quos etiam hereditas. Qui ex jure Quiritium fuerit dominus manumissor, modo solenni non observato, idem erit tutor.

a me quidem solo. Si ego solus, te non iterante, manumittens facio inpuberem Latinum, spes successionis pertinet ad me, onus et honos tutelae Latini ad te.

non etiam a te manumissa. Hoc est, te non iterante

neque efficiente civem Romanum, atque adeo, ut est in affini quaestione in Fragm. Vat. §. 221., jus tuum Quiritium in illam retinente.

facta sit Latina. Si quidem manumisit sine solenni et efficaci forma, reservato sibi jure iterationis.

tua sit — mea. Pronomen igitur possessivum *tuus*, *noster* usurpari etiam potest de istiusmodi rebus, quas non jure Quiritium habemus, sed tantum in bonis, quare etiam in Ulpiani Fragm. XXII, 8. retinendum: *noster.*

tutelam in jure cedere. An adhibenda est ea forma, §. 168. quam significat Gaius, II, 24.? ita videtur. Cessicio vindicante tutelam mulieris jure Quiritium, et cedente tutelam non contra vindicante et tacente, Praetor addicebat.

quia non videtur onerosa. An haec est vera causa, quare tutela agnatorum in feminis cedi potuerit? Erat quidem hoc munus perpetuum, nec certo tempore, ut inpuberum tutela, circumscriptum; quod autem adtinet onera hic suscipienda, quam levia fuerint, docet §. 190. 191., ubi opponitur tutela feminarum et inpuberum. Ratio interior et verior haec est: tutela inpuberum, si quidem discesseris a tutela legitima in §. 192., est munus personale, non jus et res incorporalis, ut tutela legitima libertae ab Ulpiano vocatur, Fr. XIX, 11. Vid. omnino Huschkius, ll. p. 235.

quo mortuo — revertitur ad eum tutela, qui cessit. §. 170. Nam etsi tutela ceditur, tamen vis ejus legitima non ceditur. Remanet penes ipsum tutorem legitimum, qui tutelae onus cedere potuit, ipsum tutelae jus cedere et se abdicare non potuit.

capite diminuto. Non videtur tutela cessicia, ut ipsa legitima, amissa fuisse minima capitis diminutione.

qui cessit, si mortuus sit — a cessicio tutela discedit. Nimirum cedens certam respicit cessicii personam. Mortuo vero illo, non cogitur agnatorum is, qui secundum

gradum obtinet, hoc est, qui jam proximus cognatione accedit ad tutelam et spem succedendi fovet, agnoscere cessicii tutoris personam et munus.

§. 171. *quantum ad agnatos pertinet.* An legendum: *attinet*, ut est in §. 157 et §. 73.? Haesit fortasse hic ipsum verbum Gaio ex frequente ejus usu. At habet etiam Ulpianus Fr. XI, 8.

hoc tempore. Supra §. 53. et 112.: *nostris temporibus*, *nunc* idem significat II, 284. 285.

§. 172. *cum ipsi se oneri subjecerint.* Conf. adn. §. 115.

quod etsi placeat. Est ipsius Gaii sententia.

legitimus tutor habeatur. Patronus tutor legitimus *est*; pater emancipator *habetur*; add. §. 174.; et *ejus vices sustinet*, ut ait Ulpianus, L. 3, §. ult. D. de leg. tut; hic autem non est in numero fiduciariorum. In Fragm. Vat. §. 189. quaeritur, an hujusmodi pater hanc tutelam in numerum trium tutelarum referre possit? et ita videtur.

honos praestandus est. Qui honos cernitur in jure cedendi tutela et in reverentia legitimis tutoribus debita, in quorum persona tutela est jus, non munus aut officium.

§. 173. *senatusconsulto.* Quod factum est ad exemplum legis Atiliae, vid. §. 187.

absentis. Intelligi videtur absentia reipublicae causa. In vera pupillari tutela contra fuit, vid. L. 12. D. de tutelis, L. 15. 16. D. de tut. et curat.

prior desinit. Non amplius est tutor, nec reversus recipit tutelam. Plenior est dictio in §. 186. et §. 187.

nec interest, quam longe aberit. Apud Ulpianum, Fr. loc. laud. §. 22. haec non leguntur.

§. 174. *sed excipitur.* Inconcinnior haec videtur oratio. Multo facilius Ulpianus sic: *praeterquam si patronus sit, qui abest.*

§. 175. *hujus quidem liberi fiduciarii tutoris loco.* Patris igitur

liberis non tantus praestatur honos; ac liberis patroni Fiduciarii igitur tutores habiti carent jure cedendi tutela.

sunt tamen causae — veluti ad hereditatem. Adverbium *veluti* satis jam declarat hoc ex pluribus exempli gratia excitari. Addit Ulpianus Fr. XI, 22. *ad — nuptias contrahendas.* atque hac etiam in re minori jure usae fuisse videntur, quam ingenuae, quae tutoris auctoritate ad nuptias non indiguerunt. §. 176.

et lege Julia de maritandis ordinibus. Laudatur haec lex, quia fere viam munivit SCto de tutore legitimo inpubere adsimulando absenti. §. 178.

dotis constituendae gratia. Apud Ulpianum Fr. XI, 20. solennis est formula: *ad dotem dandam, dicendam promittendamve.* Cf. Heinecc. ad legem Jul. Pap. Popp. II, c. 14. adde L. 61. pr. D. de jure dot., ubi restituenda vox: *tutor.*

a praetore urbano. Neque opus hic fuit, ut Tribunorum plebis major pars audiretur, sicuti lege Atilia ipsa est cautum.

libertae efficietur tutor — ipsi nihil permissum sit sine tutoris auctoritate agere. Haec igitur est ratio ex elegantia juris petita, quare tutelam, quam habet, non gerit. add. L. ult. D. de legit. tut. et §. 13. tit. Iust. de excusat. ubi hoc adcommodatur ad tutores legitimos inpuberes universe. §. 179.

in tutela legitima furiosi aut muti. Nimirum ejus patroni, qui non prius, quam suscepta jam tutela in hanc calamitatem incidit, ut monet Schultingius ad Ulpian. Fr. XI, 21. §. 180.

permittitur ei Scto. Animadverte in omni hoc loco, ubi exponuntur ea, quae Senatus constituit, usurpari tamquam verbum solenne: *permittere.* Conf. etiam adn. p. 8.

quibus casibus. Pertinet ad omnes casus a §. 174. inde significatos. §. 181.

salvum manere tutelam manifestum est. *Tutela* est h. l. ipsum jus tutelae; *tutor* etiam de eo dicitur, qui non personae pupilli, sed certo negotio celebrando datur, quo perfecto desinit esse tutor.

§. 182. *ut tutor suspectus removetur.* Sive testamento sive a magistratu datus; non amplius agitur de sola tutela patronorum.

pupilli pupillaeve. Pertinet etiam ad feminas puberes; secus est in §. 191.

ex justa causa. Ulpianus ll. *justa de causa.* Reliqua ad verbum fere conveniunt.

§. 183. Ex SCto, quod laudat Ulpianus, Fr. XI, 20., vis legis Juliae prolata est ad provincias, ut lex Julia et Titia protulit legem sive plebiscitum Atilianum.

§. 184. *legis actio perageretur.* Hoc est, ad finem perduci et absolvi posset.

praetorius tutor. Sive Praetorianus, ut Ulpianus scribit, eximie sic dictus, cum nondum erat lata lex Atilia, cui mores viam munivere tribuentes Praetori aliquando jus dandi tutoris. Potuit autem hunc casum praevidere testator datis pluribus tutoribus. De hocce Praetore respondisse videtur Servius Sulpicius in L. 3. §. 4. D. de tutelis.

quidam putant. A quorum JCtorum sententia discedit Gaius. Conf. supra §. 159.

hanc speciem dandi tutoris — in usu est. Conjecit Heffterus: *penitus evanuisse.* Praeiverat doct. Wichers in Diss. Inaug. ad locum de tutela, (Gron. 1822). conjiciens *exolevisse*; at non intelligo, qui potuerint tantum *quidam* esse, qui hoc putarent, quandoquidem etiam tempore Ulpiani tutor Praetorius dabatur pupillo, cui in jure esset experiundum cum tutore sive in legitimis judiciis, quae describit Gaius IV, 104.

Ulpianus hoc in brevius contraxit; de legis actionibus nihil monens, quas Gaius studiosius tractavit in L. IV, 11.

datur ex lege Atilia. Usurpat denuo Gaius et etiam §. 185.
Ulpianus Fr. XI, 18. tempus praesens; etsi jam dudum ab Antonino constitutus erat, quod omittitur h. l., Praetor tutelaris, de quo ipso ejusque officio libros scripsit Ulpianus; nec de minore parte Tribunorum plebis tempore Antoninorum sermo esse potuit. An reverentia antiquitatis retinuerunt nomen legis, etsi argumentum ejus prorsus vim habere desiisset? Legum harum consilium repetendum videtur ex metu plebeiorum, ne gentiles abuterentur jure gentilitio, quod Tribunus Plebis, quantum potuit, voluit avertere. — Jure Attico ab Archonte Eponymo tutores fuisse datos, docent Demosthenis Oratt. in Aphobum.

ex lege Julia et Titia. An fuere duae leges, quarum altera pertinuit ad provincias Caesaris, altera ad provincias populi? Non cavisse videntur de tutore legitimo, qui auctor esse non potuit, nam huic casui postea consuluit SCtum apud Ulpianum Fr. XI, 20.

heres existat. Hoc est, declaret sive verbis sive factis §. 186.
se adire hereditatem, cujus heres *est.* Conf. II, 35. 123. 144. 179. 180. III, 85.

ab hostibus tutore capto. Quum plebiscitum hunc cap- §. 187.
tivitatis casum praevidisset, non mirum, Senatum ulterius esse progressum, et etiam absentiae casum praevidisse in §. 173.

in quot genera hae species deducantur. Latius hic patet §. 188.
vis vocis *species*, quam *genus*, quod h. l. inest speciei. Secus est in L. 80. D. de R. J.: *in toto jure generi per speciem derogatur.* Adde Gaium in III, 183. et IV, 1.

longa erit disputatio. Sane non, quia res tanti est momenti ad intelligentiam loci gravissimi de tutela, sed quia copiosa exigitur commemoratio et explicatio variorum SCtorum sententiarum variarum.

hunc tractatum exsecuti sumus. Tractatus est diligentior disputatio.

in edicti interpretatione. Hoc est edicti Praetoris urbani, cujus collecti edicti varios titulos Gaius commentando illustravit et interpretatus est; nisi malimus distinguere edictum urbanum ab edicto perpetuo, ac contendere, fuisse hoc collectionem quamdam praecipuorum edictorum tralaticiorum ipso edicto perpetuo antiquiorum, qua eademratione etiam ad edictorum in Provinciis datorum capita sive titulos praecipuos commentasse videtur.

in his libris, quos ex Q. Mucio fecimus. Auget hoc laudatum ab ipso auctore opus catalogum operum, quae Gaio tribuuntur; quamquam de ipsis hisce libris non constare videtur, nisi hic referas l. 39. D. de stip. serv. In loco de tutela semel tantum laudatur Mucii Scaevolae sententia et quidem ab Ulpiano in L. 3. D. de tutelis; adde autem L. 73. D. de R. J. Videntur hi Institutionum commentarii non nisi multis jam scriptis editis confecti esse. Add. III, §. 35. §. 54., ubi docet, se de bonorum possessione propriis commentariis egisse. At post Institutionum tamen commentarios scriptae esse videntur Res Quotidianae, et etiam Libri singulares ad Sctum Tertullianum et ad Orphitianum unde descriptae L. 8. 9. D. ll. nam in hisce Institutionum commentariis neutrum Sctum laudat. add. supra p. 47.

quinque genera — ut Quintus Mucius. Testamentaria, legitima, fiduciaria, praetoria, dativa.

tria, ut Servius Sulpicius. Quae testamento, lege, a magistratu defertur; nam in definitione, quam dedit tutelae in Institt. I, 13. solos cogitavit pupillos, pupillas. Gaius ipse laudat *dativos* §. 154., quibus complectitur omnes, qui nominatim testamento dantur, *optivos* qui ex optione sumuntur §. 154., *legitimos* §. 155—165., *fiduciarios* §. 172., *cessicios* §. 169., *praetorios.*, §. 184., *Atilianos* §. 185.

duo, ut Labeo. Sive habens rationem objecti, sive modi, quo potissimum constituerentur; alia pupillorum,

alia feminarum, vel potius alia testamentariorum, alia legitimorum. Labeonis locus, quem Gaius significat, fuisse videtur in ejus Commentariis ad XII. Conf. Gellius, N. A. I, 12.

tot genera, quot species. Pro diversa igitur persona dantis, personae, cui datur, et modi ad quem detur. Veluti testamentaria est species, habet haec tria genera; dat pater filiis et filiabus pupillis, dat etiam filiabus aetatis perfectae, dat denique maritus uxori. Altera species est: tutela optiva, quando maritus in testamento non dat tutorem, sed uxori tribuit potestatem quamdam optandi sive optionem. Tertia: legitima, quae fuit duplex, tum agnatorum in pupillos feminasque, tum patronorum. Quarta: fiduciaria mancipatarum. Quinta: cessicia, quam tutor habet cessam ab agnato aut a mancipatore §. 172. Sexta: petita non data, si dicere licet, hoc est, si in locum tutoris absentis vel tutoris pupilli vel furiosi aut muti legitimi alius petitur §. 173. Septima: tutela dativa ex lege Atilia §. 185.

omnium civitatum jure contingit. Nimirum omnes gen- §. 189.
tes ac populi naturae juris praecepta communi consensu tamquam ducem secuti sunt. Confert denuo Gaius, ut solet (vid. §. 86. et §. 193.), aliarum gentium instituta et ipsum jus Romanorum, quo magis appareat, quid jus proprium sit, quid aliunde derivatum. add. §. 193. 197. 198. Quod attinet ad antiquissima tempora Romae, conf. Livius Hist. I, 34. De jure Attico laudavisse suffecerit Demosthenis orationes in Aphobum; adde Ciceronis Orat. pro Flacco, c. 30. De institutis Lacedaemoniorum vid. Plutarchus in vita Lycurgi. Ceterum ordinatores Institt. Just. hunc Gaii locum inepte descripserunt et adposuerunt ad §. 6. Institt. tit. de Attil. tut. Gaius exponit tutelam, in qua inpuberes sunt, eamque in qua sunt mulieres perfectae aetatis.

naturali rationi conveniens. Frequentata Gaio dictio: *naturalis ratio*; add. II, 66. 69. 79. opp. *civilis* §. 89. §. 158. et L. 39. D. de neg. gest. L. 18, §. 2. D. commodati. Significatur sensus ille juris qui naturae hominis insitus est.

nec fere ulla civitas. Modeste: *fere*, quamquam Gaius nullam profecto cogitare potuit civitatem, ubi aliud jus obtineret, ut mox etiam: *fere nulla pretiosa ratio.* Adde supra §. 55.

in qua non licet. Non opus est scribere *liceat*. Vid. §. 55.

in potestate habere. Potestas eximie intelligitur infinita illa potestas, quam Romani habebant; nam revera nulla est civitas, ubi parentes non habeant certam aliquam in liberos potestatem.

§. 190. *nulla pretiosa ratio.* At res explicanda est ex antiquitate ut supra monuimus ad §. 144. Apud Athenienses etiam mulier aetate major sive nupta sive virgo nullum prorsus negotium civile obire poterat sine hac auctoritate tutoris κυρίου, qui aut lege vocaretur aut in testamento mariti constitueretur.

pretiosa. Solus Gaius ut videtur vocabulum *pretiosum* hic et in II, 232. hac potestate adhibet ut ejusdem sit significationis atque *idoneum* in II, 78. et III, 98.

nam quae vulgo creditur, quia levitate — et aequum erat — regi. Videntur verba esse alicujus auctoris, quae Gaius hic adcommodat; at ipse etiam hanc rationem adfert in §. 144.

aequum erat. Vix cohaerent cum superioribus: *creditur — decipiuntur.*

tutorum auctoritate regi — interponit auctoritatem. Auctoritas tutorum, qua reguntur, est illud imperium eaque potestas, cujus vis cernitur in roganda solenni ipsorum adprobatione negotii a muliere contrahendi, quae ipsa adprobatio eximie est *auctoritas.*

ratio — magis speciosa quam vera. *Speciosa* est, quae primâ quidem specie habet, quo se commendat, sed revera futilis est. Dirksenus in Manuali unum tantum hunc locum excitat; nec habent, ut videtur, Lexicographi. Ceterum animadverte Gaium, id quod rarius facit, hic judicare de ipso jure ejusque placitis. Add. II, 78. 232. III, 25. 41. 76.

in quibusdam causis dicis gratia. Significantur hae causae in §. 176. et §. 178.

feminas — mulieres. Synonyma sunt h. l. add. §. 157. et II, 47. 80. 181. 122.

inviti — coguntur. Addit *invitus* ad augendam vim. Sic etiam Ulpian. in L. 13. §. 2. D. de vacat et excus. *qui non habet excusationem, invitus judicare cogitur.* nempe captis pignoribus; potuit autem hoc in solo hoc tutorum genere usu venire., add. II. 122.

cum tutore nullum judicium mulieri. Gravissimus est hic locus, ut intelligatur, quantum distet omnis haec tutela, in qua mulieres fuerunt, a vera tutela. Actioni tutelae instituendae locus non est, ubi invitus debet dare auctoritatem, ubi neque ulla obligatio est contracta, neque in auctoritate ab hoc tutore danda versatur periculum, nisi doli commissi potest argui tutor ut Polemocrates in Orat. Cic. laud. cap. 20. §. 191.

at ubi pupillorum. Vide adn. ad §. 189. fin. Et hic locus a Gaio oppositus superiori tutelae speciei, ubi nullum usu venit tutelae judicium, inepte est descriptus ab ordinatoribus Institt. et adpositus ad §. ult. I, tit. 20., cet. conf. Gaius in L. 5, §. 1. D. de obl. et act.

patronorum et parentum legitimae tutelae. *Patronorum tutela* vid. §. 165. 174. et III, 43. 113. 122.; *parentum* §. 172. in L. 5. C. de dolo malo pater laudatur filiae sui juris effectae manumissor idemque tutor legitimus. §. 192.

praeterquam si magna causa — interveniat. Nimirum tum etiam inviti coguntur ut tutores in §. 190. quales autem sint istae magnae causae, non diserte significat.

magna. Est urgens, necessaria, gravior, vid. L. 4. D. de jure delib. L. 2. §. 4. D. ad. Sct. Tertull. L. 4. §. 3. D. de re jud. inprimis hic usu veniet necessitas distrahendi fundi urgentibus creditoribus hereditariis.

alienatis pretiosioribus rebus. Quales sunt omnes res mancipi quas Gaius hic inprimis significat. In L. 37. §. 1. D. de evict. rerum pretiosiorum latiori sensu adferuntur exempla: margaritae, ornamenta, vestis serica, quae tamen non omnes fuere mancipi.

ad obligationes suscipiendas. Nempe mutuas, quibus ipsae etiam se obligant, et suscipiunt aes alienum. Valde concinna est h. l. scribendi ratio.

eaque ipsorum causa constituta sunt. Est igitur hoc singulare et universe proprium tutelae legitimae, ut eorum magis commodum spectetur, qui tutelam habent, quam eorum, qui in tutela sunt; quo pertinet etiam laudatus locus Ciceronis in Orat. pro Flacco, c. 32. et L. 1. D. de legit. tut., ubi Ulpianus hoc manifeste significat. Conf. p. 112.

neque per testamentum excluduntur. Itaque non facile auctoritatem dederint, nisi intellexerint, se heredes institui. Vid. adn. §. 111.

apud peregrinos. Bithyni quamvis provinciales hic referuntur inter peregrinos.

§. 193. *quasi in tutela sunt.* Hoc est, conditio ipsarum eadem fere fuit ac mulierum in tutela; quamquam etiam ipsa tutela, in qua mulieres erant jure Romano (vid. §. 190. 191.) vix dici potuit tutela, quippe qua nullum inter mulierem et tutorem negotium civile contrahebatur, et vereor, ut valuerit ad excusationem verae oneris tutelae. Livius XXXIV, 2. ipsam tutelam vocat: *manum.*

lex Bithynorum. Significat universe jus, quod ex antiquis moribus et institutis venit, ibique perpetuo fuit observatum. Quaeras, quare in tam magna exemplorum copia inde potissimum petierit exemplum; an Gaius aliquando in Bithynia commoratus hujus Provinciae civitatium jura civilia diligentius animadvertit?

si quid mulier contrahat. Hoc est quotiescunque negotium vult agere unde obligationem contrahat, petendus ipsi est *auctor* sine quo tamquam tutore negotium non erit efficax. add. Orat. laud. pro Flacco c. 30. ubi istiusmodi *auctor* vocatur tutor qui Graecorum legibus erat adscribendus mulieri cuidam ex Lydia.

filium ejus puberem. Atque hoc e jure Attico recepisse videntur Bithyni, vid. Demosth. Oratio in Stephanum p. 1125. Cf. adn. ad §. 190. Exstat in L. 25. D. de adpellat. rescriptum Alexandri *ad commune eorum qui in Bithynia sunt, Graecorum*, et in L. 6. §. 14. D. de excusat. refertur Bithynia inter eas provincias in quibus sacerdotale munus immunitatem tribuit tutelae oneris, si quidem ita locus intelligendus est.

alterius generis. Qui non sunt legitimi, dicuntur: *alterius generis.* Conf. adn. ad §. 144. §. 194.

si a femina manumissa, tunc enim e lege Atilia. Nam patrono caret, qui tutelam suscipiat. §. 195.

et auctore eo coëmptionem fecerit. Nimirum si fecit, non nuptiarum incundarum, sed tutoris legitimi reponendi causa; conf. omnino §. 115. et §. 145.

cum puberes esse coeperint. Vid. §. 145. et §. 169. §. 196.

habitu corporis pubertatem — annis. Diversae utriusque scholae praeceptores tribuerunt valde diversam voci *pubertas* significandi potestatem. Sabiniani sensu proprio, ut ita dicamus, ac naturali. Proculeani vero sensu morali sumunt, quorum sententiam tueri videtur Gaius in L. 5. D. qui test. fac. Adde humanissimam interpreta-

tionem vocis *pubertas* in L. 14, §. 1. D. de alimentis leg.

quales sunt spadones. Itaque Sabiniani inpudicam istam corporis inspectionem ad spadones non protulerunt, ut nunc a Gaio discimus, sed eam expectaverunt aetatem, qua etiam tardioris naturae homines pubescere solent. Cf. Paulus R. S. III, 4. A. 2. ibique Dirksenus laud. in notis in ed. corp. Jur. Bonn.

cujus aetatis puberes fiunt. An inserendum: *alii aut*, argmento loci Pauli: *plerique?*

diversae scholae auctores. Saepius *auctores* opponit *praeceptoribus*, quos eximie intelligit suos, veluti in L. 32. D. de damno inf. vid. tamen IV, 79.; in II, 223. opponit *nostros* et *illos*. Adde mediam sententiam Iavoleni in Ulp. Fr. XI: 28.

§. 197. *idem apud peregrinas gentes custodiri.* Nimirum, inpuberem esse in tutela, donec ad eam pervenerit aetatem, in qua ipse sui tutelam suscipere possit. Apud Athenienses inpubes aetas terminabatur anno aetatis decimo octavo. Adultus fiebat arbiter rerum suarum, nec curator amplius illi dabatur. Conf. qui difficiliorem hunc juris Attici locum praeclare exposuit, Cl. Böck in Progr. Lectt. Berol. 1819.

§. 198. *ex iisdem causis et in provinciis.* Sensus est: ut in urbe a Praetore tutelari curator dari solet furiosis, prodigis, et minoribus ad majorem usque aetatem, quorum ipsorum commodis egregie consuluit Marcus Aurelius Antoninus, sic etiam in provinciis *ex iisdem causis* ejusdem gravissimae rei eadem cura commissa est Praesidibus earum.

voluit. Hoc est, jussit, constituit Antoninus edicti sui utilitatem de Praetore tutelari bene, uti par erat, perspectam habens. vid. Capit. in Marco c. 10.

De lege Plaetoria sermo non fuit hoc loco.

§. 199. *et pupillorum, et eorum qui in curatione sunt.* In Institt. I, 24. pr. additur: *pupillarumve* et: *qui quaere;*

ex qua legitimorum edicti verborum diligentiori observatione, quam Gaius non potuit negligere, suspicatur Cl. Schrader in Prodromo Institt. p. 139. ordinatores Institutionum melioribus usos fuisse Gaii codicibus, quam hocce, quo nunc gaudemus.

negotia. Quam vocem etiam habet Ulpianus Fr. XI, 25., rem ipsam familiarem, facultates significat. Theophilus vertit (Institt. tit. de satisd. in pr.) πράγματα. Brissonius hanc vocis potestatem non animadvertit. Eadem est potestas in §. 190. 191.

deminuuntur aut consumuntur. Deminui dicuntur negotia pupillorum quotiescumque tutor curatorve eorum augendorum opportunitatem neglexerit. Quod docet Schraderus h. l. de hypotheca tacita, cui jure Attico obligata essent bona tutoris, hoc minus recte docuit, nec laudatus Demosthenis locus in Orat. in Onetor. p. 866. ad quem etiam provocant Meyerus et Schömannus de lite Attica p. 451. quidquid facit pro ista sententia, quae diversam tutorum jure Attico et Romano conditionem non satis distinxit; frustra etiam Reiskius provocat ad alterum locum Demosthenis, qui est in Orat. in Timoth. p. 1187.

curat Praetor. Recte igitur est lectio in Institt. II. Significatur edictum a Praetore tutelari compositum, in quo emendavit vitia superiorum legum praecepitque diligentius de compellendo tutore, de inquirendo, et de satisdando.

idonei. Sunt h. l., quos Theophilus vocat ἀξιοπίστους §. 200.
non propter peritiam, sed propter rem familiarem et bonos mores, quos, quales intelligat in tutore, oratorie describit.

FINIS.

ADDENDA.

ad §. 1. ad laud. loc. Cicer. add. de offic. III, 15 ubi *mores*, *leges*, *instituta* conjunguntur.

p. 22. *qui ex e curiis*, lege: *q. ex decuriis.*

p. 23. l. 8. infra. *in lege 2. D. de manum. vind.* l. *in* l. 7. *D. d. m. v.*

p. 39. in fine dele: l. 7.

p. 43. in fin. pro *in orbem* mutata *in circulo*, *ejice:* pro et lege: *in o.* mutata sunt *in circulo.*

p. 45. ad §. 52. *servi dominorum.* Add. locis laudatis Ulp. Fragm. l. 19 et L. 1. Cod. comm. serv.

p. 47. l. 5. *trasitione* lege: *transitione.*

p. 48. l. 3. lege: II, 126. add. §. 195.

p. 74. l. 9. infra, laud. loc. Pauli add. Theoph. Institt. III. 13.

p. 89. l. 12. adde in principio: §. 114.

p. 90. l. 18. *aliüs quam* l: *aliüs rei quam.*

p. 94. l. 18. add. Institt. tit. de Interd. §. 3. *interdicti vis ac potestas.*